


V
B
J
C
155903

VICTORIA.

COMMENTARIORUM CHOTINENSIS BELLI LIBRI TRES.

Auctore

IACOBO SOBIESKI,

In eâ Expeditione ex Ordine Equestri Comissario,

post verò

CASTELLANO CRACOVIENSI.

Opus Posthumum.

DANTISCI

Sumptibus Georgii Försteri.

MDC XXXXVI.

Cum Privilegio S. R. M. Poloniæ et Suec. etc.



M. SS. Makowski Legavit Bibliothecae Coll. Maioris Uni[versitatis] Jagellonicae Cracoviensis



M. S.S. Malinowski mppr

Illustrissimo & Excellentissimo

DOMINO, DOMINO

GEORGIO

Duci in Ossolin, Comiti in Thenczyn, S. R. I. Principi, supremo Regni Poloniæ Cancellario, Bidgostiensi, Lubaczoviensi, Lubomlensi, Rycensi, Adzelenensi Præfecto, &c. &c.

Domino meo gratiosissimo.



BEllum Chotinense, mole grave, eventu anceps, paucorum licet dierum, sub felicissimis auspiciis Vladislai Quarti, tunc Poloniarum ac Sueciæ Principis; at

nunc Regis invictissimi, prudenter cœptum, fortiter gestum, finitum feliciter, Orbi politiori qui vel nudè exhiberent, perpauci fuêre: vix unus aut alter, qui singula, quali arte quove Marte gesta sint, dextrè retulerit; nemo vero, quod sciam, hactenus arcana istius belli consilia, inopinatos gentis nostræ successus, exinde fœdera paulo post subsecuta, solidè attigit. Fuerit hæc nostrorum temporum infelicitas, vel etiam exterorum invidia, quibus solenne est propria tantùm & sua laudare, aliorum incuriosi, haut multum laboro. Nostrates sane, qui bellum hocce scribere aggressi sunt, dum non omnium exactam ha-

berent

berent notitiam, pleraque imperfectè posteritati transmiserunt. Vnus demum extitit Sobiescius, Vir quà generis natales & proprias Virtutes summus, quà pietatem in suam Patriam, quæ Polonia est, nemini secundus: tractandis vero negociis quibusvis arduis par omninò; præterea in fœderibus pangendis ultra humanam sortem felicissimus, tunc equidem ad expeditionem illam ab Equestri Ordine designatus belli pacisve Arbiter; post autem, per varios honorum gradus cum laude incedens, primus tandem Regni Senator evasit: quam novam spartam, judicio sapientissimi Regis Vladislai Quarti, oblatam, adornare

dùm aggreditur; in ipſo ilicò limine ſuccubuit, jubente eo qui vitæ neciſque Dominus eſt. Hic, inquam, talis ac tantus Reipub. Polonæ Senator, in vivis cum eſſet, brevi quidem at pleno in compendio Hiſtoriam belli Chotinenſis, cujus ipſe magna pars fuit, ſumma dexteritate ac fide conſignavit, ut ſibi ſuiſque aliquando uſui foret. Cæterum ubi poſt fata demùm Illuſtriſſimi Viri, (felicitate quadam mea, an ſeculi?) ad meas pervenit manus, piaculi inſtar duxi, nî fætum tanti Viri ab interitu, cui cuncta ſubjacent mortalia, pro virili mea vindicarem, atque vel tali modo pius exiſterem erga manes maximi Senatoris,

toris, cui parem aliquando Respub. Polona habuit, superiorem haut æquè: idque opus posthumum, omni cedro dignum, in scenam literariam, typo nitidiore descriptum, producerem. Sic enim est, ut fama cujusque post cineres haut longius duret, quam literæ jubent, in quibus perpetuo vivitur, si quid magnum æternumque esse debeat. Dum verò prædictum opus Historicum in publicum edere paro, quærendus non tam illi, quàm mihi patronus erat, me qui fortiori manu defenderet adversus quorundam zelum, si ita loqui liceat, intempestivum, qui nudam synceramque veritatem ægris adspiciunt oculis, ut nec

Solem

Solem ferre poſſunt, queis viſus eſt hebetior. Sed nec longè quærendus ejuſmodi veniebat Patronus, cum Tuæ divinæ Virtutes, Illuſtriſſime Heros, jam olim me, qui in Orbe ſum minimus, quàm univerſum Orbem, & quidquid in eo præclarum reperitur, in ſui admirationem traxere. Res Tuas, laudabiliter domi foriſquè geſtas, omnes loquuntur, qui Te unquam viderunt, audiverunt. Audivere Pontifex, Imperatores, Reges, Reſpublicæ, eloquentiam ſummam cum maxima prudentia junctam. Videre majeſtatem vultus in corpore ſpecioſo, elegantiam in ſingulis membris & admirati ſunt. Ipſa verò etiam Roma,

Vrbium

Vrbium ac Religionis caput, penitus obſtupuit, ubi inſolitum comitatum, inauditum antehac Tuorum aſſeclarum ſplendorem, quem in ſolenni Legatione, nomine ſereniſſimi Regis Tui, præferebas, ſuis adſpexit oculis. At Polonia, in cujus Tu ſuprema ſpecula conſtitutus, Te Iuſtitiæ ſummum antiſtitem, bonorum aſylum, malorum verò terrorem laudat æternumque laudabit. Bonæ etiam literæ, quæ Rerumpub. fulcra ſunt & ornamenta, Te unicè ſuſpiciunt, quòd immortalis Dei beneficio cælitus datus, quantum ſingulis ingenio, doctrina, eloquio, prudentia prævales, tantum univerſis palmam præripere

aſſiduè contendas, eas autoritate Tua, quæ ſumma eſt fovendo, atque eximiis beneficiis promovendo. Tibi ergo, Princeps Illuſtriſſime jure quodam proprio hocce etiam opus conſecrandum erat, quod à tineis & blattis per me vindicatum, Tuis auguſtis fauſtiſque ominibus in æternitatis ædem inferretur. Sed & alia ſupereſt dedicationis meæ cauſa. Volui omnino memoriam Illuſtriſſ. Celſ. Tuæ per hoc renovare (quam tamen ſcio nunquam apud Te intermorituram) maximi illius ſenatoris, Illuſtriſſimi Sobieſcii, Tibi verò etiam quondam intimi ac conjunctiſſimi, quippe quem ad Tuas incomparabiles Virtu-

tes

tes proximè accedere judicabas, eoque intensius amabas, quod in ipso, propè Teipsum cerneres. Accipe ergo, Princeps Illustrissime, seculi decus, Tui quondam paris, hoc est summi in Republica Polona senatoris, & innocentis Viri opus magnum solersque de Bello Chotinensi, & quotiens per graviora Reipublicæ negocia licuerit, in eo tanquam in tabella aliqua contemplare veterem amicum; res verò ab illo pro Patria eo in bello gestas, literisque consignatas oculis ac mente quandoque revolve. Mihi vero, qui eximiarum Illustrissimæ Cels. Tuæ Virtutum admirator semper extiti, clementer concede, quò sub

umbra illarum non minus ſecurè, quàm cum laude vitam ejuſmodi vivere queam, quæ omnibus prodeſſe nemini obeſſe unquam voluit.

Dantiſci 15 Novembris
Anni 1646.

Illuſtriſſimæ Celſitudinis
Tuæ
Devotiſſimus cliens

GEORGIVS FÖRSTERVS.

COMMENTARIORVM CHOTINENSIS BELLI LIBRI TRES.

Autore IACOBO SOBIESKI,
In eâ Expeditione ex Ordine Equeſtri Commiſſario,
poſt verò Caſtellano Cracovienſi, &c. &c.

LIBER PRIMVS.



Onſtitutum mihi eſt deſcribere Sigiſmundi Tertii Poloniæ Regis, contra Oſmanum Turcarum Imperatorem, expeditionem: bellum certè, quod unquam memoria hominum protulit, aut ætas mortalium vidit, maximum; apparatu & copiarum numero formidoloſiſſimum, rerum geſtarum magnitudine celeberrimum, ipſâ verò celeritate, & proſpero eventu, ſupra omnium ſeculorum fidem, ſtupendum; ubi non in longinquis & diverſis regionibus, ſed è vicinis caſtris, atque adverſâ ex propinquo acie, non pluribus annis, tantò minùs menſibus, ſed pau-

cis diebus unius Regni nec integer exercitus, cum tribus ferè Orbis partibus decertabat, vixque non totius rei Christianæ extrema alea ac fortuna, ad Tyræ vertebatur ripam, ut Chotinum proximioribus antea provinciis notum, nunc Turcarum cladibus nobilitatum, in ultimis terrarum finibus per seram posteritatem claresceret, & magnis scriptorum ingeniis exercendi styli latissimum campum præberet. Iuveni verò feroci, ac indomito Tyranno, Carolum Chodkievicium Palatinum Vilnensem, Magni Ducatus Lithvaniæ supremum Ducem, ut ætate, ita judicio maturum, variisque bellorum casibus eruditum, occulto quodam consilio fata opposuere. Quin imò hoc etiam spectaculum casus edidit, ut duo juvenes Principes, nascendi sorte pares, hinc Vladislaus primogenitus Sigismundi filius, illinc Osmannus, pro tot populorum salute ac gloriâ in arenam descenderint.

Eo igitur ordine, quem ipsemet vidi, & diligentiùs observavi, eâ fide, quam Commissarii

missarii officio functus in omnibus consiliis adhibui, totius belli, quadraginta diebus gesti & confecti, seriem persequar: cùm nihil Turcis (nam & in hostibus virtus solet esse admirabilis) per injuriam aut odium detracturus: tum nec plùs æquo Polonis, ob innatum in patriam studium, concessurus.

Quàm primùm Othomanici Imperii moles, Africæ jam, & Asiæ gravis, in Europam se exeruit, ac translatâ suâ Constantinopolim sede, Græcis & Triballis latè dominari cœpit: Poloniæ quoque Reges, vicinarum Provinciarum, gentiumque, origine, cognatione, & linguâ sibi conjunctarum, extremis calamitatibus præmoniti, barbarorum magis indies crescentem fortunam ditionibus etiam suis habebant suspectam. Inde cum Bajasete, & Selimo, illo filio, hoc Mehmetis secundi nepote, Casimiri tertii, ejusque liberorum mutua intercesserunt fœdera, pluribus legationibus, ac ipso sacramento utrinque stabilita, incontaminata coluit fides. Hanc à majoribus

Amicitia Polonorum cum Turcis.

ribus unà cum imperio traditam ſibi amicitiam Sigiſmundus primus, omnium ætatum memoriâ dignus Princeps, par pari retulit Solimanus, inter Turcarum Imperatores rerum geſtarum gloriâ eminentiſſimus, qui ſæpiùs multa propenſiſſimæ in Polonos voluntatis indicia edidit, vetuſtáque fœdera ſanctioribus adhuc, ac æterno quodam nexu duraturis pactis reſarcivit, quæ in honorem memoriamque ejus SOLIMANEA appellata, ad hunc uſque diem, non ſine magnâ veneratione, à Turcis leguntur. Sed rerum humanarum Imperiis etiam adjuncta viciſſitudo interrupit nonnunquam hæc conſtantiſſima pacis ſtudia. Stephano enim Palatino Moldaviæ contra Ioannem Albertum lata auxilia, conjuncta in ipſius Ruſſiæ viſceribus cum acerrimo Poloni nominis hoſte ſocia ac infeſta arma, cum Sigiſmundo primo regnante, in Oczakovienſibus campis ſæpius cum mutuâ prædâ conſertæ utrinque manus, & aliquot poſtea in Podoliæ ac Ruſſiæ Provincias ſubſecutæ incurſiones, non leviter

Polonorum & Turcarum rupta amicitia.

tam

tam Polonorum, quam Turcarum irritarunt animos, non ſine certo quodam præſagio funeſti aliquando inter hos populos belli. Auguſti tamen & Stephani, prudentiſſimorum Regum, inſignis ſolertia, omnes majoris incendii ſcintillas ſopiente, ſancita olim à Divis majoribus ſuis fœdera, iteratis vicibus redintegravit. Ingemiſcebat multoties alti ſpiritus & vaſti animi Princeps Stephanus, communibus malis ac periculis per totam Chriſtianitatem ſerpentibus: atque Sixto V Pontifice Maximo ad ſacri belli piam ſocietatem invitatus, volvebat Regiâ mente dignos virtute ſuâ conatus: ſed difficillima imperii ſui tempora, & continuata cum Ioanne Baſilii Magno Moſchoviæ Duce bella retinebant pares animo impetus. Tandem viam fata invenerunt, tantique, ut mox exponemus, belli cum diſcrimine belli gloriam Sigiſmundo huic Tertio, non ſine magnâ tot ætatum & Chriſtianorum Principum invidiâ reſervarunt. Aliis enim conceſſum erat de longè tantum fremendo

Turcicam potentiam admirari ; aliis laceſſere potius , quàm labefactare. Solus eam ac primus Sigiſmundus ſummo auſu impetiit , & fœliciſſimo eventu infregit. Excanduerat jam pridem Tyrannorum ferocia , cùm ſæpius à Coſacis Zaporovienſibus, piraticam exercentibus, ſolo adæquarentur maritimæ urbes, igni & ferro vaſtarentur fertiliſſimæ provinciæ , opibus ac mercibus ſuis ſpoliarentur celeberrima Europæ & Aſiæ emporia. Nonnunquam etiam Imperatoribus, oculos hortorum ſuorum amœnitate oblectantibus , triſte & pudendum objiciebatur ſpectaculum , fumantes nempe undique pagi, quos Coſaci in ipſâ Conſtantinopolis viciniâ, cum magnâ potentiſſimæ urbis conſternatione, incendebant : Vindicta quidem anniverſariis Tartarorum in ditiones Poloniæ excurſionibus repetitâ : altius tamen barbarorum animis inhærebant continuatæ ab infimâ plebis fæce injuriæ. Conceptum Turcarum in Polonos odium facilè fovit Stephani Potocii in Moldaviam expeditio , quem

Occaſio prima belli Turcici.

Clades Potocii,

quem eò impulit contracta cum Mohilis affinitas, ut multis Regni proceribus frendentibus, privatâ autoritate, suismet viribus, & spe solâ fretus, cum exercitu Constantinum Hieremiæ filium in Moldaviam duceret. Sed fortuna votis non annuit, nec spei eventus respondit. ad Dziezam enim fluvium memorabili clade cum lectissimo exercitu affectus, & in manus hostium illapsus, Turcarum furori in ludibrium cessit. Nec dissimilem exitum Samuel Korecius sortitus est, qui Michaëli Corecii. Duci Wisniowecensi superstes, affinis item sui Alexandri Mohilæ, partum insigni Polonorum de Thomszâ victoriâ dominatum stabilire cupiens, ab Imbraim Bassis profligatus; unà cum uxore, ejusque matre, & cum Alexandro ac Bohdano Mohilis, ipse tamen rerum per aliquot menses præclarè gestarum gloriâ & apud hostes clarissimus, in Turcarum venit potestatem, reservatusque in funestam insolentis triumphi pompam, Constantinopoli in eodem, quo & Potocius, ergastulo, miserabili

bili quodam fato delituit. Continuatis utriuſque exercitus cladibus plurimùm intumuerant Barbari ; jam Polonum nomen in fabulam totius Conſtantinopolis verſum ; Internuncii non in eo , quo pridem , honore habiti ; mercatoribus etiam more priſco difficilior & periculoſior per ditiones Turcicas patebat aditus , omninoque veteris amicitiæ inter duo imperia arcta olim vincula , mox in apertum eruptura bellum , diſſolvi cœperant. Ejuſmodi incendii ſcintillas fovebant Moſchi , inveterato odio in Polonos perciti , ac recentibus cladibus exulcerati. certatim cum literis currebant Conſtantinopolim nuncii , veniebant magno cum apparatu & ſplendore, variis muneribus onuſti legati, variiſque pollicitationibus in communis belli ſocietatem Othomanicum Imperium trahebant. Extincto Achmeti filius ejus Oſmanus , necdum pueritiam egreſſus , ſucceſſerat , cujus animus paternis offenſionibus exulceratus , ut eò facilius deliniri ac Polonis reconciliari poſſet , poſt ſubſecu-

tam cum Patre Achmete per Skinder Bassam & Stanislaum Zolkievium Palatinum Kyoviensem, & Campestrem exercitus Ducem, Buszensem transactionem, ad novum Principem renovandi fœderis causâ suscepit legationem Petrus Ozga Trembovelensis Capitaneus, qua omnibus inimicitiarum suspicionibus sublatis optata iterum pax coaluisse existimabatur. Verùm Osmanus tantis fortunæ obsequiis insolens, latissimi Imperii vastitate tumens, ingenio ferox, ætate furens, in ipso extremæ adulationis sinu inter innumeras blandientium mancipiorum illecebras enutritus, non unum Oceanum, nec unum orbem insanâ libidine, ac plus quàm humano fastu metiebatur: imò quasi naturæ etiam Dominus, nihil furori suo invium, nihil potentia inaccessum, nihil fortunæ invictum putabat. Principis genio indulgebat servilis Consiliariorum patientia. Skinder Bassa dolis & astu consutus, innatusque Poloniæ hostis, Corecianâ verò clade elatus, non solùm illi indubitatam de Polonis victoriam,

Transactio Bussensis.

Paracula belli Chotinensis.

B

ctoriam, sed jam universum Poloniæ Regnum pro certâ & incruentâ prædâ deferebat. Tomszâ & ex Moldaviâ ejectus, ac inde gravioris de Polonis vindictæ cupidus, fidelem suam operam promittebat, bellique felicitatem, prout odium in hanc Rempubl. conceptum, & mens mendaciis assueta vafro homini dictabat, tam in privatis, quàm publicis consiliis, & ipse, & per substitutas, magnoque precio conciliatas personas ostentabat. Ali Basza Wezirasemesz fraudulentis infensissimorum Poloniæ hominum consiliis parvo negotio infatuari poterat: nullo enim usu rerum pollebat, Palatii alumnus, ac antea Principis libidinum minister, tunc voluntati quoque Domini, per fas & nefas, fœdissimo servitio ancillari, inter præcipuas felicitatis suæ partes reputabat. Eorum igitur instinctu Osmanus Otfinovium, Sigismundi internuncium ad corrigendos nonnullos pactorum articulos, tanquam ad amicum & socium Principem missum, nec aspectu dignatus, loco honoris, quem sacra legatio-

num

num ubique terrarum requirunt, adjunctis multis opprobriis, contumeliosè tractari, & per Sulbaſſam, Carnificum ac lictorum præfectum, in Vrbem introduci juſſit. Gaſpar Gratianus Moldaviæ Palatinus, Chriſtianâ pietate, & optimâ in Regnum Poloniæ voluntate ductus, per diſpoſitos tabellarios, Sigiſmundum de tantâ Regiæ Majeſtatis contumeliâ, ac aperto bello Turcico, certiorem reddidit. Ipſe verò Turcarum jugum excutere ſatagens, Staniſlaum Zolkievium (qui tunc ob ſua inſignia in Rempubl. merita, Cancellarii & Supremi exercituum Ducis, ſummam in Poloniâ utramque dignitatem obtinebat) per ſecretas literas ſolicitabat; Vt cum exercitu fines Moldaviæ ingrederetur; Se cum univerſâ Provinciæ illius Nobilitate Regum Poloniæ Dominium non modò non recuſare, ſed maximo deſiderio flagitare. Zolkievius, poſt magnam animi luctam, variaſque deliberationes, Tyram in Moldaviam tranſgreſſus, ardentiſſima ejus vota explevit. Gratianus Turcis, qui ad

Expeditio Cecorenſis.

eum capiendum, & Skinder Bassa, maximis itineribus Iassos advolarunt, partim captis, partim trucidatis, licet non eâ, quam pollicebatur, accolarum frequentiâ, fidem tamen Reipubl. obstrictam exolvit. Longo servitio attrita Moldavia gens, & malo suo potentiam Turcicam experta, majus fortè Zolkievianarum copiarum robur expectabat. Parvus ille quidem numero exercitus censebatur, sed tum Militum virtute, tum vix aliquando tot seculis auditâ inediæ, laboris, vigiliarum tolerantiâ, ævi sui fidem superando, pro ostento quodam à posteritate judicabitur. Numerosissimis enim Tartarorum, duce Devletgerejo Galga (hoc titulo insigniuntur secundogeniti Chamorum fratres) copiis, & conjuncto illis Skinder Bassæ, non solùm tam parva, respectu hostilis exercitus, manus fortissimè restitit, impetumque barbarorum sustinuit; sed paucæ illæ cohortes, nocturnâ multorum ex panico terrore fugâ, diminutæ, octo ferè in suo receptu diebus ac noctibus, tantam Turcarum Tartarorumque

rumque vim, & quasi è cœlo demissum sagittarum ac globorum nimbum, eâ fortitudine repulerunt, ut impetu suo fatigatus hostis, & retro gradum movens, jam tunc substiterit; cùm funestus Reipubl. Polonæ casus, in portu naufragium, ac in victoriâ cladem attulerit, magisque eò lugubrem reddiderit cladem, quòd sola calonum, lixarum, ac infimæ in exercitu fæcis inconcussa licentia, talem patriæ suæ notam inusserit. Puduit Zolkievium, ut alterum Paulum Æmilium, ne enim cladi suæ superstes esset, invicto animi robore, quo sibi in totâ vitâ semper constabat, cum Tartaris dimicando, in conflictu aliquot vulneribus saucius, non procul à Tyræ versus Mohilovum ripâ, pro patriâ occubuit. Stanislaus verò Koniecpolius Campestris Exercitus Dux, Varronis illius exemplo, non desperavit: qui animo, manuque promptus, dum equo abjecto, ab hostibus undique cinctus, per tot catervas acerrimè pugnando erupisset, in Moldavorum priùs, ac mox & in Turcarum manus incidit.

 Capti,

Capti, Ioannes & Lucas Zolkievii, unus filius, alter ex fratre nepos ſupremi Ducis, & cum iis Nicolaus de Komorow Strus Halicienſis, Alexander Balaban Vinnicenſis Capitanei, Samuel Corecius iterato infortunio miſerabilis, Martinus Kazanovius, Nicolaus Potocius Iacobi Palatini Braclavienſis filius, Volodimirus Farenſbach, Malinſcius Strzyzovius, & omnes ferè agminum & cohortium Præfecti, fortiſſimi juxtà ac clariſſimi viri, numeroſaque varii gradus & ordinis militum multitudo. Sed minimè dubito, belli hujus ut rationem, ita eventum eos poſteritati tradituros, qui illi interfuerunt. mihi hæc vel attigiſſe, ad proſequendam poſterioris expeditionis ſeriem, ſat erat.

Denuntiatio apud Turcas belli Poloni.

Talia Martis præludia Oſmani animum, ſanguinolenta conſilia ſpirantem, facilè irritarunt. ad inſtar enim cruentæ belluæ furens, Regno Poloniæ in omnibus Imperii ſui partibus bellum denunciavit. proclamabantur paſſim à præconibus, per Aſiæ & Africæ regna, provincias, urbes, vicos, hoſtes

hostes Othomanicæ domus, Poloni. vix sexus, nulla ætas, aut gradus, ab hac expeditione immunis declarabatur. Europæis, & vicinioribus Constantinopoli copiis sistendi se dies inprimis edicta. Dziambegerejus Tartarorum Krimensium Cham (id nomen apud eos Regium nomen denotat) ex Tauricâ Chersoneso accersitus. Osmani ipsius in futuro bello præsentia, equinâ jubâ ex palatio appensâ, tanquam sueto majorum suorum signo, omnibus manifestata. Ad pontem supra Danubium fabricandum, Moldavia & Bulgaria, non sine profundo suo gemitu, destinatæ, quòd impia contra Christianos arma servili operâ adjuvare cogerentur. Quicquid verò ad tantum apparatum in Europâ defuit, mare ex longinquis illis oris summâ celeritate, maximâ copiâ, ingenti sumptu suppeditabat. Devoraverat jam feroci suo animo universam Poloniam indomitus Tyrannus; arces ejus, urbes ac provincias, tanquam indubitata spolia, inter Bassas, libidinum suarum mancipia, dividebat. Ætate tamen

prove-

provectiores, & prudentiâ eminentiores ejus consiliarii, (inter quos Mosti, sacrorum summus Præses, & Halil Bassa, origine Armenus, autoritate pollebant,) variis rationibus injustam, difficilem, & longinquam in Poloniam expeditionem dissuadebant. Mustapha Vezirazemes, præposteros ejus conatus liberiùs arguendo, à propriis Tyranni manibus cultri ictu vulnus accepit. Arioli quoque omnia infausta superstitionibus suis præsagiebant. Cum nihil horum obstinatam Osmani mentem, fatis eum ad interitum suum trahentibus, divertisset, ad primum periculosissimi belli nuncium exhorruit Polonia, contremuit & universus Christianus orbis.

Comitia Varsoviensia.

Varsoviæ Comitia Ordinibus indixit Rex. ac primùm ad Pontificem Max., Ferdinandum Imperatorem, & omnes ferè Christianos Principes; expeditis legationibus, classicum sacri belli per totam Christianitatem canebat, contra communem hostem communia expectando auxilia. Nihil enim æquius videri potuit, quàm ut Christianæ militiæ

militiæ antesignanus, Princeps non solùm votis, sed & subsidiis Christianitatis juvaretur; utque Regnum Poloniæ, quod in excubiis Reipubl. Christianæ situm, & ad sustinendum primum Paganorum impetum, vel ipsâ quadam naturæ dispositione esset constitutum, conjunctâ eorum propugnaretur manu, qui sacrosanctum Christianorum nomen profitentur. Ac Gregorius, ejus nominis X V Pontifex Max. per Achatium Grochovium Præpositum Lecicensem, Regisque Secretarium, nunc Episcopum Præmisliensem Nominatum, & ad Sacram Sedem Internuncium, certam quolibet mense pecuniæ summam, durante hac expeditione obtulit, majores adhuc promittendo sumptus, quàm primùm Ferdinandi Imperatoris cum rebellibus hæreticis bellum (à quo Ecclesiæ fiscum exhauriri affirmabat) aut certâ victoriâ, aut honestâ pace finem acceperit. Verùm Cosmus de Torres, Archiepiscopus Andrinopolitanus, ac Nuncius ordinarius, in Poloniam, his ferè diebus Cracoviam appulit,

quibus transactionis Chotinensis fama ad eum pervenit, nulláque interpositâ morâ, confecti jam belli Pontificem certiorem reddidit. Iacobus Angliæ Rex, cùm & Oratorem Regium, Georgium Ossolinium, Palatini Sendomiriensis filium, lautè & magnificè tractasset, & singulare suum in Rempubl. Polonam studium declarasset; non contemnendis Anglorum, Scotorum & Hibernorum copiis, Sigismundi exercitum aucturus erat, nisi temporis, quo bellum hoc Turcicum inceptum & finitum est, angustiæ modum ac occasionem illi præclusissent. Cæteri Christiani Principes, partim antiqua sua cum Turcis fœdera, partim intestinos ac domesticos motus, belli demum difficultatem, in excusationem adducentes, piissimos Sigismundi pro re Christianâ conatus omnino deseruerunt.

In Comitiis Varsoviensibus varia agitabantur Consilia, de nervo belli, militum numero, & exercitus Duce. Omnium Ordinum ora conversa, animique simul erant

inclinati in Carolum Chodkievicium Palatinum Vilnensem, Magni Ducatus Lithvaniæ supremum Ducem, autoritate, reique militaris usu ac scientiâ pollentem, multis victoriis, insignibus trophæis, clarissimis triumphis, apud exteras ac barbaras etiam gentes celeberrimum. Illi igitur summum regimen & res Polona restituenda, unanimi Reipubl. consensu, deferebatur. Suffectus in locum campestris Ducis, laboris socius Stanislaus Lubomirscius Regni Pocillator. adjuncti publicâ lege ex Ordine Equestri Commissarii, quorum alii in aulâ Regis commorari, alii Chodkievicium sequi debebant, cum limitatâ secretiori diplomate, ac juramento obstrictâ potestate, quæ se extendebat ad trutinandum cum censu belli sumptum, solvenda militibus stipendia, absolvenda cum ducibus judicia, sancienda fœdera, & fida consilia, quoties ad ea accerserentur, præbenda. Eorum autem non decet præteriri nomina, qui huic expeditioni interfuerunt. Nicolaus nempe Sieniavius Regni Incisor,

Matthæus Lesniovius Belzensis Succamerarius, Michaël Comes in Tarnow, Iacobus Marci Sobiescii Palatini Lublinensis filius, Ioannes & Paulus Dzialynii, hic Pokrivnicensis, ille Bratianensis Præfecti, Nicolaus Kossakovius Visnensis Capitaneus.

Contributiones in bellum Turcicum.

Subsidia belli hæc, autoritate Comitiorum fuere decreta, præter universæ Nobilitatis, more institutoque majorum, generalem expeditionem, octo agrariæ contributiones, binæ ducillæ (eo vocabulo ab antiquis in Regno legibus census ex cervisiâ nominatus) binæ quartæ Regalium bonorum, & ex eisdem in magno Ducatu Litvaniæ donarium, quod illi bono magis exemplo, & laudatissimo in communem Rempubl. studio, quàm concesso jure largiti sunt. Ex bonis item summis antiquitus oneratis & pensionibus certa pecunia assignata. Ordo quoque spiritualis in Synodo Petricoviensi centum quinquaginta millia florenorum ad sacrum bellum contulit.

Exercitus numerus, ob plures, qui postea ex-

ea exponentur, defectus, à primo Comitiorum instituto longè differebat. Constat mihi tamen, pecuniam ex ærario publico in Chodkievicianum exercitum distributam, tam pedites Germanos, Hungaros & Polonos, quàm hastatos levis & gravis armaturæ equites, computando in 34 millia, 987 milites, præter aliquot agmina Germanorum, qui pudendo & fœdissimo exemplo in ipsis limitibus signa deseruerant. Eâdem fraude multi & in Polono exercitu, cum magno fisci detrimento, nomen suum contaminarunt. Kozakorum Zaporohensium triginta millia numerari poterant, quorum magna pars per ditiones Podoliæ prædabunda bellum Chotinense subterfugerat. *Exercitus Polon.*



De expeditione generali nihil à me determinati expectet posteritas. Cùm enim non omnes Palatinatus ac districtus cum Sigismundo Leopolim ad indictam diem venissent, nec horum etiam certus numerus patet. Inter aulicas tamen Sigismundi cohortes mercenarii militis peditum & equi-

equitum Germanorum censebantur aliquot millia. Magnatum etiam (præter hos, qui, ut memorabimus, Vladislaum sequebantur) propriis sumptibus collectas cohortes præteriri hîc non decet: Dominici Ducis in Ostrog Zaslaviensis, Ianussii Ostrogiensis Castellani Cracoviensis amplissimi hæredis, 600 peditum & equitum milites: tum Raphaëlis Lesczynii Palatini Belzensis centum hastatos, Iacobi Sobiescii Palatinidæ Lublinensis levis armaturæ turmam, item Szaszkievicii Braclaviensis Succamerarii, Malinscii, Raseczynii manipulos. Aderat & Georgius Dux Czartoriensis, qui in itinere à Tartaris vexatus, & vix non omnibus equis amissis, desideratis plurimis famulis, ipse tamen jacturæ superstes in castra venit. Tormenta bellica, quibus nos Cosaci fere adæquabant, viginti octo in castra fuerant advecta.

Atque hoc Poloni, quem recensui, sumptu, tali apparatu, iis viribus, quibus omnibus majorum memoriam superarunt, cum Osmano Turcarum Imperatore, de

salute

ſalute ac gloriâ ſuâ decertarunt. Atrociſſimi belli obſervabantur prodigia, in defectu ſub ipſum meridiem Solis, terræque motu per diverſas Moldaviæ, Podoliæ, Ruſſiæ partes. Apparebant quoque in aëre confligentes inter ſe igneæ columnæ.

Chodkievicius, antequam reliquæ colligerentur copiæ, primas Lubomirſcio excubias demandaverat, qui ad Skalam Podoliæ oppidum, ultimis Maji diebus, ingreſſus caſtra, loci naturâ, ob invias rupes, & Zbrutium fluvium alluentem, munitiſſima, vigilantis ducis exequebatur munus, exploratores ſæpiùs in hoſtiles ditiones immittendo, & novis ſemper præſidiis vicina Tyræ vada ſepiendo, ſubitaneaſque è Moldaviâ Tartarorum incurſiones reprimendo. ubi Simeon Kopyczynius, vir animi & corporis robore validus, ac multis antea bellis exercitatiſſimus, ſingularem ei operam præſtitit. Podolicæ etiam nobilitatis ruſtici, inter ſylvarum ac rupium ſaltus, cæſis ad internecionem Tartaris, ferociam eorum refrænarunt. Venerat in Caſtra Lu-

Caſtra ad Skalam.

ſtra Lubomirſcii Conſtantinus Vevellius, genere Cretenſis, Cretenſi quoque ingenio præditus, & poſtea in Chriſtophori Ducis Zbaravii legatione ad Muſtapham Imperatorem, notabili perfidiâ inſignis, nomen quidem Chriſtianum præ ſe ferens, ſed Turcis, unde opibus creverat, propenſiſſimus. Secretiora ille ab Alexandro Moldaviæ Palatino attulerat mandata, unà cum literis Vſaim Baſſæ monoculi, qui Turcarum confinia in Beſſarabiâ tuebatur, & januæ Imperatoris Præfecti, qui apud Turcas magiſtratus pro ſummo honoris faſtigio reputatur. Tentabant per Conſtantinum, Polonorum de pace animos, quam ſpecioſis quidem verbis blandè ſuadebant, fictum in eâ reſarciendâ ſtudium ſuum obteſtati. Sed eventus docuit, explorandi potiùs, quàm amicitiæ cauſâ miſſum in caſtra ab iis fuiſſe, natione, fide, moribus Græcum hominem. Lubomirſcius in abſentiâ Chodkievicii nullo ei reſponſo dato, honorificè, ut Chriſtiani Principis Internuncium, exceptum, lautè propriis ſumptibus

ptibus

ptibus tractatum, in vicino à castris rure, sub honestâ custodiâ, usque ad supremi Ducis adventum, detinuit. Nec Chodkievicius tardavit, sed cum Litvano exercitu ad Rzepnice pagum Lubomirscio se conjunxit, ac statim universum exercitum in legiones partitum, ad Braham, Tyræ imminens oppidum, movit. Anteibant legiones, Boratiniana, Præfecti Lipnicensis, Lesniovii Belzensis Succamerarii, & Lubomirsciana. succedebant Zienoviciana Castellani Polocensis, Sieniaviana Incisoris Regni, cum Procopio fratre, Chodkieviciana & Sapiehana Capitanei Orsanensis: subsequebantur Zoravinsciana Castellani Belsensis, Opalinsciana Castellani Posnaniensis, Kossakoviana Capitanei Visnensis: quæ postea tum in acie instruendâ, tum in muniendo ac defendendo vallo, & excubiis peragendis, eadem nomina obtinuerunt. Ibidem instituti excubiarum præfecti, Wiernek, Bogdaszovius, & Kazimirius; destinatus ad castra metanda Dolmad, Litvanus, veteranus miles sub signis

Castra ad Rzepnice.

Chodkievicii, quem magna tunc diſtinebat deliberatio, transeunduſne cum exercitu Tyras erat, an in ipſis limitibus expectandus hoſtis, ubi difficilior ei aditus pateret, ſibi verò pabuli, annonæ & victus copia faciliùs ſuppeditaretur, atque reliqua ex Poloniâ ſubſidia ſecuriùs in caſtra venirent.

Caſtra ad Braham.

Ex alterâ parte Regis aliquot literæ ulteriorem progreſſum urgebant: permovebant duces Nobilitatis Podoliæ, continuæ de rapinis militum querimoniæ; locus ipſe trans Tyram & ad caſtra metanda aptiſſimus, & in acie inſtruendâ variorum ſtratagematum capaciſſimus, mirum in modum utrique Duci placebat. Brahæ denique inhærere minus tutum cenſebatur, ne exercitus validiſſimo Kozakorum Zaporohenſium præſidio deſtitueretur, qui legatione ſuâ unanimem conſenſum Chodkievicio declararunt, ſe tunc exercitui Polono conjuncturos, cum is fines Moldaviæ attigiſſet, aliàs in perpetuo verſari metu, ne Reſpublica Turcis per aliquam tranſactionem recon-

reconciliata, collectas in potentissimos hostes vires in capita postea sua convertat. Iacta igitur alea est, publicatumque per castra de transeundo flumine imperatorium mandatum. Ad instar portenti & prodigii omnibus videbatur, vertiginosum ac saxosum Tyram tunc primùm quasi subjugari pontibus velle, cùm hactenus tentatum ejusmodi in pluribus locis opus vi semper suâ rapidissimus fluvius discussisset. Mobilem jam pontem extruxerant pedites; sed is grandi aquæ impetu fractus, Rutheno cuidam (Lithvanum alii fuisse volunt) exhibuit non vulgaris industriæ singulare specimen. firmiorem ille operam inchoaverat, imò & perfecerat: verùm ea, seu artificum aliorum imperitiâ, seu custodum negligentiâ, aliquoties destructa, iterum atque iterum reparabatur. Interim Constantinus Vevellius ad Chodkievicium accersitus, tale accepit responsum: Vt sibi animum esse ad capessenda pro patriâ arma promptissimum; ita quoque propensissimum in honestam & æquam

Pons supra Tyram.

Responsum Vevellio datum.

pacem ſtudium. Tardioris ejus in Moldaviam reditus conjecta cauſa in Tartarorum excurſiones, quæ difficiles viarum aditus reddebant. Datæ ad hos omnes, qui ad Lubomirſcium ſcripſerant, literæ. Singulari etiam Chodkievicii Epiſtolâ interpellatus Vſaimus Veſiraſemes ad ſana pacis conſilia per Szembergum Internuncium invitabatur. Atque Szemberganæ legationis, hominis ſagaci ac circumſpecto ingenio præditi, moriſque barbarorum non ignari, hunc ſolum fructum expectavimus, ut eo prætextu mentes & vires Turcarum expiſcari ille poſſet. Tanta elucebat in vultu Chodkievicii majeſtas, ut Conſtantinus, ad primum ejus aſpectum, tanquam ad numen aliquod venerabundus procidere voluerit, niſi ipſius Ducis manu ſublevatus, & ſingulari comitate recreatus è tentorio diſceſſiſſet. Poſt ejus certè obitum, in familiari colloquio, me ipſo audiente, aliquoties narrabat, Herois illius intuitu adeò ſe perterritum & conſternatum fuiſſe, ut lingua ejus tunc balbutiret, tituba-

Szembergi legatio.

titubarent pedes, tremeret totum corpus, nec mens ſibi conſtaret.

Initia ſeditionis militaris. Continuis aliquot diebus exortus in exercitu magnus Cohortium fremitus tranſitum per Tyram impediebat. Paſſim ac turmatim milites Præfectorum ſuorum tentoria obibant, obruebantur Duces importuno clamore, miſcebantur omnia, modò irâ, modò dolore, nunc precibus, mox minis. languebat jam ſolitum obſequium, diſſolvebatur diſciplina militaris, contemnebantur utriuſque Ducis juſſa, æquè tyro ac veteranus, civis ac externus, gregarius & nobilis, pedes & eques, caſtra querimoniis implebant; pecuniâ & commeatu exercitum deſtitui, in ſtipendiis fraudari, multa ſibi opponi pericula, nulla proponi præmia; imminere hoſtes, tardare ſubſidia; cuilibet denique cohorti celari inauctorationis ſuæ diem. Chodkievicius, quò pullulantem ſeditionem in ipſis primordiis faciliùs opprimeret, lymphatos ferè homines ad concionem vocare detrectavit. ſed inito conſilio cum omnibus Commiſſariis,

 quibus

quibus ex præſcripto Comitiorum id negotium præcipuè incumbebat, ſingulis cohortibus eundem ſuæ inauctorationis, quo caſtra ingrediebantur, diem aſſignavit, & unum ex Commiſſariis Iacobum Sobieſcium Palatinidem Lublinenſem, cum Stephano Potocio Camenecenſi Capitaneo, ac privilegiato exercitus Notario, ad hunc deſcribendum ordinem delegavit, pari diligentiâ ac fide, trutinando & temporis rationem, quo militiæ adſcribebantur, & locorum diſtantiam, per quam ad caſtra tendebant. Vnâ ac alterâ die injunctum nobis munus abſolvimus, relictâ tamen penes Regem ſupremâ cenſurâ, quam noſtris ſententiis adſtipulatam brevi ex literis Varſaviâ allatis cognovimus. Inter alios proſperos belli iſtius ſucceſſus, & hoc non in extremis reputabitur, tot in exercitu capita, totque ſenſus, primæ ſtatim Commiſſariorum de ſuâ inauctoratione declarationi, per ſecretas ſchedulas, unicuique cohortis præfecto traditæ, adeò acquieviſſe, ut nemo poſtea vel muſſitare contra

Duces

Duces ausus sit. Quod temporumne, quæ mox sunt subsecuta, necessitati, an Reipubl. Polonæ fortunæ attribuere debeamus, utrumque libero posteritatis judicio relinquo. Priorem itaque militum contumaciam obsequio, moram alacritate compensatam, non sine magnâ animorum oculorumque voluptate spectavimus. Ruebat ad flumen universus exercitus, & antequam pons fractus repararetur, tabulatis ligneis ab Odorovio equitum levis armaturæ Præfecto, ex superiori orâ secundo fluvio advectis, transibant Tyram suo ordine cohortes. Præcedebat cum suis legionibus Lubomirscii agmen. qui simul ac Moldaviæ fines attigisset, Lipnicii C L levis armaturæ equites, cum Richteri Livonis L sclopetariis, & cum non contemnendâ gregarii militis manu, ad suppeditandum ex hostili terrâ in castra commeatum, expedivit. Exiguam Lipnicius tunc retulerat prædam: felicius rem gesturus, si in Seratum Moldaviæ trans Prutum oppidum cautiùs irrupisset, quò ad celebrandas nundinas magna Arme-

Polonorum in Moldaviam Excursio.

Armeniorum & Moldavorum frequentia confluxerat. Sed præpropero & insolenti Lipnicianorum clamore territa, tempestivâ fugâ, vitæ & facultatibus suis consuluit. Malè ista excursio habebat Chodkievicium. clementiâ enim potiùs, quàm rapinâ Reipubl. suæ Christianam provinciam devincire studebat, de cujus fide, & in Polonos optimâ voluntate multa ei pollicebatur Petrus, Simonis Mohilæ Valachiæ quondam Palatini filius, qui exul & profugus, ac Zolkievio singulari Patrono orbatus, dum in clientelam Chodkievicii se, suasque omnes spes tradidisset, consuetudine ejus familiarius utebatur. Metuebat etiam ad omnia circumspectus Dux, ne injuriis suis lacessiti Moldavi ex redeunte Szembergo vindictam repeterent. quamobrem tubâ (ut mos fert militaris) severissimè edixerat, ne quis infestare ampliùs Moldaviam auderet. Verùm Bernascius, prædonum gentis suæ fax, in vicinâ sylvâ latitans, factâ ex insidiis in eos irruptione, qui pabulandi & lignandi causâ illuc commearant,

Latrocinia Bernascii.

mearant, multos equis & curribus ſpoliavit, plurimos cepit, reliqui, quinquaginta ex ſuo comitatu deſideratis, celeri ſe fugâ ſalvarunt. Kopaczovius, animi intrepidus, & bellis Moſchoviticis ſub diſciplinâ Liſovii exercitatus Centurio, cum Byczek nobili Moldavo, Regias partes jam pridem ſecuto, redierant à Chodkievicio verſus Socaviam, ad explorandum Turcarum & Tartarorum exercitum miſſi. Sed cum nullæ hoſtiles apparerent copiæ, unum tantùm ex Alexandri Palatini Moldaviæ aulâ nobilem comprehenſum adduxerunt.

Ob tardiùs reparatum pontem duodecimo tandem die Tyram tranſiit Polonus exercitus. Equorum hinnitu, tubarum clangore, tympanorum ſono, nitentium armorum ſplendore, fauſtis denique omnium acclamationibus, effundebat ſe ingens quoddam per caſtra gaudium. ipſa quaſi læta ſigna, tot illæ cruces, tot aquilæ Polonæ, ultro progredi, equi veluti greſſu ſuo Moldavico ſolo minari videbantur. Tanta diverſæ ætatis, variique gradus tur- *Tranſitus per Tyram.*

E ba vin-

ba vindictam de cœlo extensis manibus poscebat: omnes jam in animo victoriam, jam in ore triumphum gerebant, armis etiam suis terram hanc penetraturi, quæ pridem Polonorum non aliter esset tumulus, quàm Italia Gallorum quondam sepulchrum. Vnusquisque properabat ad expiandum cæde, incendio, ruinâ, tot seculis sparsum ibi Polonorum sanguinem; hic parentis, ille fratris, iste amici, omnes tot majorum suorum manibus ex hostium cadaveribus justa solvere accelerabant.

Castra ad Chotinium.

Chodkievicius ob ingravescentem valetudinem corpore debilis, & animo vividus, vultuque verum Martem præ se ferens, generosissimo equo insidebat, aspectu ac gestu solo universum animando exercitum. Ex unâ parte cingebantur castra rupibus Tyræ impendentibus, ab alterâ vicinarum sylvarum anfractibus. medius eo spatio patebat campus, ut nec totam aciem hostis explicare, nec pugnandi necessitatem Chodkievicio inferre valeret. Nulla hactenus notitia pervenerat de Cosacorum

ſacorum Zaporohenſium exercitu. ad quem inveſtigandum & accerſendum oblatâ ſuâ operâ Konaſzevicius, cohortis levis armaturæ præfectus, avidiùs à Ducibus expectabatur. Plurimùm interim omnium recreavit animos adventus Petri Konaſzevicii, cui militare cognomen à pharetrâ ductum, Sahaydaczny nempe, Zaporohenſes indiderunt. redibat ille Varſoviâ, ubi legatione apud Regem functus, optatum ſuis ferebat reſponſum, certâ ſpe fretus, reperturum ſe Coſacos Chodkievicii caſtris conjunctos. Verum illi, viliſſimi,& ex vulgi fece infimi hominis (quem Coſaci ſuetâ dicendi nugacitate, Borodavkam Rutenicè, quaſi Verrucam diceres,appellarunt) temulentum ac ignavum regimen tunc agnoſcentes, non tam ejus ductu, quàm effrenatâ ſuâ licentiâ, modò per Podoliam, modò per Moldaviam erronei vagabantur. Petrus iſte Konaſzevicius rarâ ingenii ſagacitate, judicii notabili maturitate, in dictis factiſque ſingulari induſtriâ, adeò originem, vitam ac conſuetudinem

Adventus Petri Konaſzevicii.

Vita & mors Petri Konaſzevicii.

plebejam excesserat, ut inter clarissimos ætate suâ in Poloniâ viros æquissimo jure posteritati innotescere possit. Quoties exercitui Zaporohensium præerat, rerum terrâ marique gestarum gloriâ celeberrimus, constantissima ubique fortunæ beneficia agnoscebat. In Perecopensibus campis, Tartaris aliquoties fusis, Tauricam Chersonesum perterruit. In illâ pascuorum vastitate armenta abegit, prædam ex Russiâ reportatam in ipso reditu eripuit. Vladislao verò jus suum in Moscoviâ armis recuperante, summâ se celeritate, cum maximâ hostium consternatione, ad Mosquam Imperii illius metropolim conjunxit, victricia signa per amplissimas ditiones circumtulit, ferro & igni hostiles regiones depopulatus, opimisque spoliis onustus, Ielcii, Sackii, Livnii, Kalugæ, situ ac præsidiis munitissimarum urbium funestis ruderibus nominis sui terrorem universæ Moscoviæ incussit, quæ tot ærumnis & calamitatibus ingemiscens, in ejus vidit manibus suam auferri supellectilem, suasque

que opes, ac tantam diverſi gradus, diſparis ætatis, utriuſque ſexus captivorum turbam, inter illius currus ac cetera impedimenta, interruptis ſingultibus numeravit. Nec minùs maritimarum victoriarum famâ Konaſzevicii nomen inſigne videtur. & hîc conſtabat ſibi ejus fortuna, felicem illi ſemper piraticarum excurſionum largita eventum, diruta aliquot præſtantiſſima in Europâ & Aſiâ emporia, exuſtæ vicinæ Conſtantinopoli ditiones, & in iſtâ, quam deſcribimus, Chotinenſi expeditione non vulgaris præſtita dexteritas augebat ejus creſcentem indies apud Turcas gloriam. Cæterùm ipſe erat animo ingens, periculorum appetens, vitæ contemptor, in conflictu primus, in receptu ultimus, manu promptus, corpore agilis, in caſtris vigilans, ſomno parùm indulgens, nec adeò, ut mos eſt Coſacis, crapulæ deditus: Veneri intemperantiùs addictus, quæ mortem etiam illi acceleravit: in colloquiis, aut ſobrius, aut ebrius eſſet, circumſpectus, ac in omni ſermone parciſſimus. Regi

ac Reipubl. æquè ſemper in ſuo Magiſtratu fidus, in compeſcendâ Coſacorum licentiâ adeò ſeverus, ut etiam ex minimâ cauſâ ſanguinis eorum eſſet prodigus, unde illis inviſus aliquoties ex hac exercitus Zaporohenſis præfecturâ ab inſolenti multitudine dejiciebatur. Religionis Græcæ ritum ardentiſſimo & plùs quàm ſuperſtitioſo cultu obſervabat: iis, qui in ſacroſanctum Romanæ Eccleſiæ gremium ſe contulerant, infenſiſſimus juratuſque hoſtis. unde jam ante ipſum ejus obitum impii ejus in Rempubl. conatus variis ſuſpicionibus differri per vulgum cœperant. Chodkievicius hunc Petrum Konaſzevicium (cujus ſingulares virtutes & maxima in Patriam merita id breve diverticulum à nobis requirere videbantur) humaniſſimè exceptum, muneribuſque cohoneſtatum, nullâ adhibitâ morâ, expedivit, ut Tyræ inhærendo obviam Coſacis iret, unà cum duobus ſubſidii cauſâ Annibalorum levis armaturæ cohortibus, & cum Molodecio, homine ex Lubomirſcii familiâ, longo uſu, ac ve-

Konaſzevicii ex caſtris diſceſſus.

ac veteri consuetudine Cosacis familiarissimo. Moscinio, uni ex domesticis Lubomirscii, explorandi hostis causâ castris egresso, cœca nox omnem successum perturbavit. Ex adversâ enim Pruti ripâ, cùm in Moldavos prædones casu incidisset, nec hostesne, an sui exercitus homines essent, dignoscere obstante caligine potuisset; vox tamen Moldavos prodidit. coortum inde tumultuarium prælium, quod ipsæ impendentes tenebræ facilè diremerunt. Moscinius postquam animadvertisset, suosmet mutuis se ictibus ac vulneribus conficere, receptui signum dedit, ac re infectâ rediit. Meliori fortunâ usus est Fekiety Vngarus, ex Turcarum castris, sub illam Bussensem cum Skinder Bassâ transactionem, ad Polonum exercitum transfuga, rarâ fide & fortitudine in Vladislai Moschovitico bello, Chodkievicio singulariter commendatus, qui tunc ex Iassensi territorio adduxerat Moldavum captivum procerâ staturâ eminentem, & in prioribus expeditionibus, cum adhuc Turcica signa seque-

Moscinii excursio.

Fekietii excursio.

ſequeretur, optimè ſibi notum. verùm ab eo nihil ampliùs expiſcari Duces poterant, præter concordem cum aliis exploratoribus de Alexandro Moldaviæ Palatino relationem, quòd, Iaſſis præſidio nudatis, cum ſuo exercitu Oſmano obviam iviſſet. Invaleſcente de Turcarum adventu rumore, Ruſinovius & numerum & ſpem exercitus auxit, adductâ nimirum lectiſſimâ levis armaturæ Polonorum manu, quæ in caſtris Ferdinandi Imperatoris, contra ſuos rebelles, cum ſummâ Sarmaticæ gentis apud exteros gloriâ, merebatur. Nonnulli ex gregariis militibus, ob quærendum victum ad vicinos pagos excurrentes, ſpeciem hoſtilis alicujus cohortis ſpeculatoribus præbebant. Certior ab eis redditus Chodkievicius, jam aliquot equitum turmas è caſtris in campum eduxerat. reliquus exercitus prælio ſe accingebat. cùm Staniſlaus Zoravinſcius Caſtellanus Belzenſis, cujus tunc legio in excubiis diurnis permanebat, ipſe omnibus vicinarum ſylvarum ſaltibus accuratiùs perluſtratis,

Adventus legionis Ruſinovianæ.

Panicus terror.

mox

mox ſuos ex voce & habitu cognovit, & rem, ut ſe habebat, Chodkievicio retulit. Hanc exercitus perturbationem brevi idem dies in ſummum convertit gaudium, optatiſſimo adventu ſubſecuto Doroſzenkonis Coſacorum Zaporohenſium legati, qui devaſtatis Oriovienſis regionis fertiliſſimis ditionibus, & Sorokâ funditus deletâ, proſpera jam incepti belli primordia enarrando, ſimulque advenientium propè Coſacorum & debitum obſequium, & propenſiſſimum in Rempublicam ſtudium ſacroſanctè promittendo, commune tædium publicâ compenſavit lætitiâ. Fauſtum hinc ulterioris progreſſus arripiebatur omen; ſolus cum reliquo ſuo exercitu & cum majoribus tormentis deſiderabatur Vladiſlaus. Moverat jam Leopolim caſtra: ſed ut eò citiùs verſus Chotinum properaret, Staniſlaus Zoravinſcius Caſtellanus Belzenſis cum Iacobo Sobieſcio Palatinide Lublinenſi, nomine Ducum & totius exercitus, ſuſceperunt ad eum legationem, per fas patriæ, Parentis & altricis ſuæ, per ſuum

Adventus Doroſzenkonis Legati Coſacorum.

Ad Vladiſlaum miſſi Caſtellanus Belzenſis, & Iacobus Sobieſcius.

ſuum Regiæque domus decorum, per florentem denique hactenus Paternum dominatum, ardentiſſimis precibus flagitando, ut ſe in caſtra Chodkievicii ſiſteret, ad divertenda communi ope imminentia Poloniæ regno pericula. Ad pagum ii Probuzne repererunt Vladiſlaum, gloriæ & novi in Rempubl. meriti avidiſſimum. Sequebantur eum Ioannis Wejer Palatini Culmenſis, Erneſti ac Gerardi Dönophorum tria agmina peditum Germanorum, Vngarorum, Nicolai Kochanovii, Almathi Bartoſżevii cohortes, & ſexdecim bombardæ majores: Haſtatorum equitum Nimiræ Podlachiæ, Conſtantini Plichtæ Sochaczovienſis Caſtellani turmæ, & ipſius Vladiſlai Prætoriana cohors, cui Martinus Kazanovius præerat. Conſtabat hæc Nobilitatis inſigni flore, & ſplendido ex privatis impenſis comitatu. Ianuſſii Ducis Wiſniovecenſis, Adami Przyemſcii Curruum Regis præfecti, Andreæ de Danbrowica Firley Caſimirienſis, Pauli Dzialynſcii Bratianenſis Capitaneorum, Stephani Koniecpolſcii, Sigiſ-

Exercitus Vladiſlai.

Sigiſmundi Tarlonis, Thomæ Sobieſcii, & aliorum magnæ in Republ. ſpei lectiſſimorum ac nobiliſſimorum juvenum. Erant & levis armaturæ Gniewoſzii, Zborovii, Ioannis Dzierzek: Gravis verò armaturæ Palatini Culmenſis & Dönoffii Capitanei Hiperpolenſis cohortes. Tum Pauli Volucii Epiſcopi Vladiſlavienſis, Antiſtitis ob hanc in patriam pietatem æternâ memoriâ digniſſimi, centum haſtati equites, & centum pedites, quibus Philippum fratrem ſuum Caſtellanum Ravenſem præfecerat; item Alexandri Radzivilii à majorum ſuorum conſtantiſſimo in defendendâ Republ. animo non degeneris, haſtatorum, levis armaturæ, & peditum tria vexilla. Summâ utrumque Legatum humanitate Princeps excepit, & attentiſſimas aures precibus exercitus porrexit, tardiorem ſuum adventum excuſans, partim ob tormenta bellica Leopolim ſeriùs & malo ordine advecta, partim ob tabeſcentem, & in horas languentem peditatum Germanorum, qui longo itinere confecti, nimio æſtu afflicti, labo-

borisque minimè tolerantes, & guloso olerum esu continuis morbis exhausti, serpere potiùs, quam progredi, & loco corporum, umbras hominum præ se ferre non sine magnâ spectantium commiseratione videbantur. Quæcunque à Vladislao accepimus, tum ipsi vidimus, ea omnia in castra reversi Chodkievicio fideliter retulimus, qui tum temporis tristissimo nuncio perturbatus, ingentes curas animo coquebat. De Cosacorum Zaporohensium ad internecionem cæso exercitu, incerto autore, (ut sunt inania famæ) percrebuerat rumor, qui in majus, more vulgi, creditus, & ex longinquo variis sermonibus auctus, in deterius vergebat. cuncta enim castris observabantur funesta; tam summorum, quàm infimorum par luctus, demissus vultus, tristis aspectus apparebat, suspensa denique omnium capita cernebantur, ac murmure cum gemitu conjuncto (quilibet enim mœsta proclamare detrectabat) per tentoria militum differebantur lugubria nova. Chodkievicius animo anxius, certior in

Nova tristia de Cosacis Zaporohensibus.

tior in

tior in utramque partem reddi, hoc unum cogitabat. unde Lifzka & Kuliczkovius, cohortium levis armaturæ Præfecti, verſus Stepanowce excurrerant, atque à Tartarorum exercitu præcluſos ſibi aditus nunciantes, primi rumoris fidem cumularunt. In rei autem veritate Zaporohenſes ex ipſis extremi periculi faucibus erepti, fœliciſſimo ac glorioſiſſimo ſucceſſu cum Turcis decertarunt. Octo ferè diebus ac noctibus impendebat illis Turcarum exercitus, continuo inſultu, & integro numeroſiſſimarum copiarum robore fatigabantur eorum vires, variis, victus cauſâ, huc & illuc, excurſionibus diſtractæ & imminutæ. Oſmanus, nihil non auſus, auſpicia ſua tentare, primaque militiæ ſimul & victoriæ tyrocinia deponere, in exterminio Zaporohenſium enitebatur. Quadringenti ferè Coſaci, cùm ab exercitu ſuo aberraſſent, in cavernis rupis cujuſdam deliteſcebant. in eos oppugnandos omnem potentiæ ſuæ molem ac ingentem illam vim hoſtis convertit. admotis machinis bellicis

Coſaci à Turcis infeſtantur.



oppugnabat nidulo affixos & humanâ ope orbatos. Atque dum uno ac altero die irritos suos conatus indignabundus Osmanus vidisset, naturam, quæ instinctu divino locum iis munitum præparaverat, fame debellare contendit. Obsessi undique (ut est desperatio magnum ad honestè moriendum incitamentum) cùm incredibili ausu hosti immanissimo restitissent, notabilem in Turcico exercitu stragem, stupentibus ac frendentibus ipsis hostibus edebant; tandem labore confecti, inediâ consumpti, pulvere sclopetario destituti, fide priùs imploratâ, à tot calamitatibus reliquum, & quasi jam extremum spiritum in manus ferocissimi Tyranni unà cum armis tradiderunt. Qui virus suum à majoribus adhuc in Cosacos conceptum, in hoc, ceu aliquo inermium hominum macello evomere cupiens, abhorrendam omnibus seculis, ac apud summam etiam barbariem pudendam lanienam exercuit, & cùm omnes diversis suppliciis, in truci suo conspectu mactari jussisset, tunc demum

inusi-

inusitatam suam crudelitatem satiavit, cùm majestate Imperatoriâ abjectâ personam carnificis sumens propriis manibus aliquot ex iis ad arborem ligatos, partim sclopeto, partim sagittâ transfixisset. Præbebant miseri teterrimæ belluæ supplex jugulum, immortalis gloriæ æterna vestigia ibidem relicturi, ubi mortalem deposuissent vitam. Illos certè genere & factis antea obscuros tali demum interitu eadem sors nobilitavit, quæ & Osmano tanquam generis humani prodigio perpetuam ignominiam, ac perenne apud omnes Heroas opprobrium inussit.

Ad castra Chodkievicii prædonum Moldavorum solita latrocinia non cessabant. adjunctâ sibi certâ Tartarorum manu eos, qui pabulandi causâ incautiùs excurrissent, sæpiùs aggrediebantur. Petrum quoque Konaszevicium ejusmodi, ut referemus, casus in summum impulerat discrimen, quod duce Fortunâ, & singulari suâ virtute comite tandem evasit. Converterat ad Stepanowce iter, illic se exercitum Zaporo-

Latrocinia Moldavorum.

Casus memorabilis Konaszevicii.

porohensium deprehendere ratus, postquam incidisset in impressa ad instar latioris viæ equorum vestigia, mox pro hostibus suos transisse summo errore judicavit. Accensi à Turcis obscuriore nocte frequentissimi ignes; & hi illum fallebant. jam enim à Cosacorum castris proximum se esse gaudebat. Illucescente statim die dum ex opposito monte tentoriorum apices conspexisset, retrogredi cœpit. insequuntur Turcarum speculatores: plures etiam advolant. ille comitatus sui paucitatem solâ animi alacritate ac manus promptitudine superare elaborans, ita manus cum obvio hoste conserebat, ut tamen ad majorem, quem longiùs reliquerat, suorum manipulum contenderet. nec ab Annibale & Molodecio deserebatur. Acriùs instabant Turcæ. amisso ille equo, & ob transfixam sclopeto manum, viribus primis destitutus, in adjacentes se sylvas recepit, ubi die ac nocte latitans, viarum ignarus, & ideo consilii inops, tum ex incurato vulnere debilis, languido gressu ad Tyram dirigebat,

rigebat,

rigebat, quem ſimul ac tranſiſſet, non procul à Mohilovo caſtra ſua reperit. Zaporohenſis Coſaci Borodavkæ regiminis pertæſi, ſolemni ſuo more, per unanimem acclamationem, Konaſzevicium in exercitus ſui præfectum iterum crearunt, qui Borodavkam, multorum criminum ab ipſâ multitudine accuſatum, in vincula conjecit, & brevi pòſt ad Chotinum capitis pœnâ condemnavit. Infeſtabantur nihilominus omnes circum caſtra viæ quotidianis ferè latronum excurſionibus. Iam inſidiis petitæ inſidiæ, atque ad comprimendam illorum licentiam nonnullæ equitum expeditorum cohortes, in latibulis ſylvarum, iteratis vicibus, erant abditæ. Sed, cùm nemo apparuiſſet, fruſtrà expectabatur, circumſpecta præſertim locorumque peritiſſima illa colluvies. Aliquot Zaporohenſium manipuli ab exercitu ſeparati, dum reportatâ ex territorio Onovienſi prædâ, verſus Chotinum properando, denſum excitaſſent pulverem, pro hoſtibus è longinquo facilè judicati, canendi per caſtra claſſici anſam

Latrocinia Moldavorum.

Adventus legionis unius Zaporohenſium.

G dede-

dederunt. Iam acies tum inſtrui à ducibus cœperat, cùm de adventu illorum certus nuncius pervenit, qui cohortium ſtrepitum ſtatim compeſcuit. Cantimirus, pluribus antè præliis proſpero eventu cum Polonis commiſſis nimiùm ferox, & ſuetis pugnandi furtis ſummopere confiſus, primam ulterioris belli aleam ſubire voluit. Selectis ex Tartarorum copiis veteranorum quinque millibus, ipſe in remotiori ſylvâ latitabat, fratre germano emiſſo, qui duorum millium equitatu, cui maximè fidebat, ſtipatus, & optimam ſtratagematis occaſionem ex coortâ nebulâ nactus, in excubias Poloni exercitus incidit, quibus vix non ad ipſam Lubomirſcianam portam inſiſtendo, barbaro clamore ac inordinato periculo caſtra implevit. Vnus ex Tartaris, corporis egregiâ compoſitione, eminentiori ſtaturâ, & imperterrito animo inſignis, acerrimè dimicando, à portâ Lubomirſcianâ lapidis ictu propiùs occubuit. Ab aliâ verò parte, per montium Tyræ inhærentium declivia, Tartarorum cohors inva-

Cantimiri primi conatus.

invaſerat, in primo caſtrorum ingreſſu ſtativa Piotrovii, qui levis armaturæ equitum præfectus, à cuſtodiâ vadorum fluminis redeundo, magnâ exercitus Poloni fortunâ illic reſtiterat. Dolus enim hoſtilis, ipſis caſtris imminens, in miſerabilem cohortis ejus ſtragem converſus eſt, ubi commilitonum plurimi, propter exercitus ſui viciniam ſecuri, & itinere nocturno defeſſi in utramque aurem dormiebant. Nec impiger Chodkievicius, quamvis malâ valetudine affectus, contra advenientem hoſtem, exercitum in aciem redegit. Dextrum cornu Lubomirſcius obtinuit, acceptâ in ſubſidium Matthæi Leſniovii Succamerarii Belzenſis legione; ſiniſtrum occupavit Chodkievicius, agminis fronte in obvios collium aſperiorum anfractus converſâ, unde ex inſidiis impetum Tartarorum metuebat, atque ibi legionem ſuam & Sieniavianam collocaverat; quibus pro ſubſidiis imminebant legiones, in primo ordine, Petri Opalinſcii Poſnanienſis & Bohuſlai Zienovicii Polocenſis Caſtellanorum; in ſecundo,

Acies tum primùm inſtructa.

cundo, Alexandri Sapiehæ Orſanenſis, & Nicolai Koſſacovii Viſnenſis Capitanei: medium conſtabat agmen ex legione Staniſlai Zoravinſcii Caſtellani Belzenſis & Boratinii Lipnicenſis Præfecti. adjunctæ iis erant Svizinii & Srzedzinſcii, militantes ſub ſignis Thomæ Zamoſcii Palatini Kyovienſis, haſtatæ cohortes. In tantâ, & maximè tyronum multitudine, non omnes obſervabant, in iis præſertim primordiis, exactum in acie ordinem, idque non ſine Chodkievicii ſtomacho, qui incredibili animi promptitudine & dexteritate, in numerato habens omnes uniuſcujuſque legionis cohortes, ſuum cuilibet locum, verba facto adæquans, deſtinabat. Tam ob Vladiſlai atque exercitus Zaporohenſis abſentiam, quàm ob variatum à Comitiorum inſtituto militiæ numerum, & mutilatas plurimas, quæ aderant, cohortes, ſtatim magnos in ſuo exercitu defectus facilè advertit Chodkievicius; cùm multò diverſam aciem in animo ſuo diſpoſuiſſet, tanquam Dux hac in arte verſatiſſimus, & cum omnibus

nibus, non modò ſui,ſed veteris etiam ævi, Imperatoribus comparandus. Collocaverat etiam nonnullas gravis & levis armaturæ,Germanorum & Hungarorum peditum cohortes,in ſylvarum latebris,ut ex inſidiis Tartaros aggrederentur , atque feliciter ſtratagema ſucceſſit. impetu enim in hoſtes facto , parvo negotio catervas illorum diſſiparunt. Cantimirus fugâ ſuorum perſpectâ, in eandem ſe ipſe conjecit,& Zaporohenſibus obviam caſu factus , Tartarorum plurimos ex præcipuâ militiâ amiſit. Captivorum de proximo tum Oſmani , tum Dziambergerei Tartarorum Chami adventu conſtantem relationem Szembergus & Conſtantinus Vevellius confirmarunt. nam relicto quatuor à Chotino miliaribus Turcarum exercitu,tanquam præſentiſſimi belli Feciales in caſtra redierant. Vſaimus Vezirazemes Szembergum, honorificè tamen tractatum, coram Oſmano celavit. Ii , qui de renovandâ pace per Conſtantinum Vevellium utrumque Ducem ſolicitarant, turpi ob ſervilem metum mendacio inficias

Reditus Szembergii cum Vevellio.

 iverunt;

iverunt; datumque ab Vſaimo ſuperbum reſponſum, pacem nimirum, quam Poloni peterent, ſitam in armis eſſe. Impendens totius Reipubl. cervicibus inexpertum hactenus periculum, tubâ etiam eſt per caſtra denuntiatum. Animabantur in familiaribus colloquiis à Ducibus milites, unicam vigere ſpem, certamque ſperari ſalutem in divinâ ope & Polonâ virtute, ſuadebant vim vi propugnandam, arma armis repellenda: non patêre hîc locum precibus, quam ſummâ labe avitam gloriam contaminarent; tantò minùs auro vel pecuniâ pacem redimendam, quod utrumque ferro ſæpiùs parari ſoleat. Ad majorem verò ſecuritatem, ſummâ celeritate caſtra vallo & foſſis per legiones muniri imperavit Chodkievicius. Konaſzevicius uno miliari à Chotino caſtra ſub veſperam metatus, cùm tamen Turcas imminere ſibi advertiſſet, non plùs horâ Coſacis ſuis, poſt tot exantlatos labores, reſpirii conceſſâ, eâdem nocte in planitiem ad Tyram vergentem, & Chodkievicianis caſtris proximum, exercitum ſuum movit.

CHOTI-

CHOTINENSIS BELLI

LIBER SECVNDVS.



Emorabilis hic Polonis in omnem posteritatem evenit dies, quo tam cum Osmano Turcarum, quàm cum Dziambegerio Tartarorum, ex tot regnis ac gentibus collecta potentia Regno suo incubuit, ac Othomanici per tres orbis partes latissimè patentis imperii, elata ex innumeris victoriis signa tunc se Poloniæ ostentarunt. Tunc Tyras Euphrati, Nilo, ac vicino Danubio invidens, ad accedentis novi hospitis, & tanti Imperatoris majestatem, veluti alveo suo exurgere; Asia cum Africâ, quasi propriis sedibus mota, in Podoliam properare cernebantur. Immensa illa & variarum nationum colluvie referta agmina, à diverso cœlo, ex longinquo solo, ad Sarmaticos limites coadunata, aliam aëris constitutionem, diversum locorum situm, omnia denique oculis suis peregrina miraban-

Adventus Osmani secunda Septembris.

mirabantur. Multis barbarorum priùs erant experta arma Polona, quàm eorum nomen auditum: ad plures citiùs explosarum bombardarum pervenerunt globi, quàm antea aliqua de remotissimâ gente notitia.

Exercitus Osmani descriptio.

Varia armenta, præcipuè buffalorum, camelorum, mulorum greges, multitudine suâ, excutiebant è longinquo ex aridâ ob inopiam imbrium terrâ, ad instar nebulæ, densum admodum pulverem. Quatuor etiam Elephantis fervens sanguine ac ætate Tyrannus, insolenti potentiæ suæ alludere, & Africæ monstris Polonum exercitum terrere voluit. Est, quod omnis miretur ætas, metandorum castrorum tempus quasi momento hostibus constitisse: incredibili celeritate explicata, atque extensa tentoria, illo splendore & candore, ac subitanea cœlo demissa nix esset, tres eminentissimos montes impleverant. Dziambegerejus uno inde miliari, inter circumjacentes sylvas, stagni cujusdam commoditatem nactus, Tartarorum collocavit exercitum, cum Valachis, Moldavis, iisdem quibus &

Turcæ

Turcæ caſtris continebantur. Ingentem Barbarorum numerum, tum ex occupato loco, tum ex frequentiſſimis agminibus, facilè colligere quilibet poterat. Variant hîc tamen tam noſtri, quàm Turcæ. mihi narraſſe ſufficit, in hoc bello capita ſua duos Imperatores devoviſſe; quorum ſi ſubſtituti Duces, numeroſiſſimis ſæpiùs cum Chriſtianis copiis decertarint, credibile profectò eveniet, ipſis plus tum temporis propriæ ſaluti ac dignitati conſuluiſſe. Ianizerorum (quod militiæ Turcicæ robur ſemper fuit) multò, quàm vulgò credebatur, pauciores reperti. cauſam præbuiſſe affirmant, magiſtratuum avaritiam, quæ præter majorum inſtitutum in militum locum pecuniam emungebat, dum quilibet pro labore munuſcula, & æs pro periculo libentiſſimè offerret. Equitatus, ob veſtium, quibus paſſim Turcæ utuntur, elegantiam, & ornamenta equorum, ſplendebat; crebra vexilla, apicibus in normam globi deauratis nitentia, pulcherrimum edebant ſpectaculum. Equi ex delicatiori aëre longin-

Numerus Turcarum & Tartarorum.

Equitatus Turcarum.

quo itinere attriti, non adeò, ut expectabantur, comparebant validi. *Asiatici.* Asiatica imbellis turba numerum tantùm explebat, promissis magis barbis (quas Turcæ summâ curâ plerumque alere solent) quàm fortibus factis notabilis, clamore, non virtute insignis, ad fugam prona, ad conflictum inepta, mercibus ac opificiis, non prœliis assueta. Multi senio jam confecti, plurimi corpore obesi, nec arma dextre tractare, nec munia belli ritè obire valebant. Europææ copiæ, *Europææ copiæ.* decus & præsidium totius exercitus meritò erant. Veterani in illis Hungaricis bellis exercitati milites, corporis ac animi habitu, & ipso etiam vestitu ab aliis Turcis dissimiles, veteris adhuc Christianorum coloniæ primos spiritus, & antiquæ militiæ nonnulla vestigia retinebant, atque hastati ii plerunque in primâ constituebantur acie. Communia, quibus exercitus Turcicus accingebatur, arma vidimus, cum acinace arcus, aduncos ferreos clavos, & angulares clavas, maximè verò breviores cum cuspide emissarias hastas,

quarum

quarum jactu hoſtes ſuos feriebant. minorum bombardarum ac ſclopetorum rariſſimus apud eos uſus, præter Ianizeros ſolos, apparebat. loricas nonnulli induebant, alii veſtibus tantum cooperti, graviores etiam ictus à Polonis, magnâ ex parte armatis, excipiebant. Ariolorum maxima in exercitu ab Oſmano fovebatur turba, ad quorum vaniſſima auguria, inani quoque ſuperſtitione, omnem belli progreſſum dirigebat. Tormenta bellica, ſummo & apparatu & ſumptu, ad fortiſſima quævis quatienda mœnia adaptata, cingebant magno loci ambitu, tanquam validiſſimo muro aliquo, tot tentoria Polonis propiùs oppoſita, quorum aliquot globos LV libras ponderantes propriis hiſce oculis conſpexi. Tibiarum in magnâ copiâ, tubarumque ingratus auribus inhorreſcebat ſonus. Nihil tamen horum terruit ad omnia diſcrimina præparatum jam pridem Chodkievicii animum, qui educto caſtris exercitu, adjunctiſque ſibi Zaporohenſibus Coſacis, eundem, quem nudius-tertius

Tormenta bellica.

Muſica militaris.

Acies contrà advenientem Osmanum.

contra Cantimirum locum, ac lævum cornu occupaverat, munitâ legionis suæ fronte densis Opalinscianæ, Zienovicianæ, & Sapiehanæ legionibus. Dextrum cornu ad sylvas, ubi latitabant Tartari, vergens, Lubomirscio contigerat, qui in fronte collocatis suâ, Ioannis Rozrazevii, Zlotnicii, Ianovii, Ratovii, hastatis cohortibus, subsidia ita multiplicaverat; ut primum in iis tenerent ordinem Stanislai Zoravinscii Castellani Belzensis; secundum, Matthæi Lesniovii Succamerarii Belzensis, & Stephani Potocii Capitanei Camenecensis hastati equites; tertium, binæ Ioannis Farensbachii turmæ; quartum, Boratinii legio; quintum demum, Herburti Scalensis Præfecti, Stanislavii & Alexandri Prusinovii Palatinidis Belzensis hastatæ cohortes. Mediâ inter duo cornua acie continebantur aliquot Germanorum peditum cum bombardis majoribus cohortes. Extremum verò agmen, ad ultimum sustinendum hostium impetum destinatum, constabat lectissimo Nicolai ac Procopii Sieniaviorum equitatu, &

tu, & merentibus ſub ſignis Thomæ Zamoſcii Palatini Kyovienſis, Swiezinii ac Srzedzinſcii cohortibus, quibus à latere in ſubſidio Nicolaus Koſſacovius Capitaneus Viſnenſis cum ſuâ legione aderat. Magnum inter Lubomirſcium & Chodkievicium, ob illos, quos antè recenſuimus, defectus, patebat intervallum. Ne verò Tartari ex ſylvarum inſidiis poſtremos agminum ordines ſolito ſuo aſtu divellerent, aut ſubreptitio antiquo ſtratagemate in extrema caſtrorum irrumperent, converſæ verſus eaſdem ſylvas ſunt plures, tam in fronte, quàm in alâ, levis armaturæ cohortes. Inſtitutâ igitur Chodkievicius univerſâ acie, brevi, in quantum temporis ratio exigebat, priſtino ſuo, ſummorumque Imperatorum more, exercitum cohortari cœpit.

Campus hic, fortiſſimi milites, in quo utramque cernitis aciem, factorum potiùs, quàm verborum capax eſſe debet. Non me natura ad loquacitatem compoſuit, aut ætas, in caſtrenſi pulvere tranſacta, ſpecioſos mihi dicendi floſculos inſeruit, nec ipſum *Oratio Chodkievicii ad exercitum.*

ſum prœlii, quod mox ſubſequetur, momentum, prolixam ad vos poſtulat orationem, qui chariſſimæ Patriæ & communis Reipublicæ cives, pro ejus gloriâ ac incolumitate, corpora veſtra devoviſtis. Multùm equidem fatis debeo, quòd me è variis continuorum bellorum caſibus ac periculis ereptum, & diverſis, ut nunc videtis, morbis conflictatum, ad hunc uſque diem reſervarunt, ut vel vivus optimè de Regiâ Majeſtate ac inclytâ hac Republ. mereri, vel mortuus, tot Chriſtianorum, tot denique civium meorum manibus in hoſtili ſolo parentare poſſim. Primùm in ipſâ cauſæ æquitate, quæ ſemper cum Chriſtianis contra Pagnos militat, poſtea in hac uniuſcujuſque veſtrûm dexterâ ſpem, & totius regni ſalutem poſitam eſſe, velim ſciatis. Non vos terreant iſta, quæ conſpicitis, tentoria, in faſtum Tyranni, & inanem veſtrum pavorem extenſa, cùm plurima hominibus vacua, oculos tantùm faſcinent: nec elephantis, aut camelis pugnandi vis ineſt; ſarcinis illi ſuis onuſti impo-
ſito

ſito oneri ſuccumbant: abſit vobis aliquem terrorem incutiant. Hanc Aſiaticam multitudinem pro inani umbrâ, & vano numero reputate: animo, victu, veſtitu molles, voluptatibus ſuis enervati, & à muliebri agmine non diſſimiles, ad primum Polonæ tubæ claſſicum, armorumque veſtrorum ſtrepitum concident, nec vobis unquam reſiſtent, genuinis virtute & ſtirpe Sarmatis, ac duri Martis veris alumnis; quorum olim majores, ab occidente, Albi, ab Oriente, Boryſtheni, ferreas illas impoſuerant columnas, tanquam duratura cum ipſo ævo ſempiterna per tot ſæcula gloriæ monumenta. Signo dato, ruite in hoſtes Poloni & Litvani, avitæ gloriæ memores. nec enim ignaviſſimo cuique hîc jam in hoſtico, inter alluentem rapidiſſimum fluvium, ac diffuſas undique Turcarum & Tartarorum copias, occaſio fugæ dabitur. Fortiſſimis verò viris, perpetuæ memoriæ latiſſimus patebit campus: Timidis, quos inter vos reperiri nec puto, nec opto, cedat in virtutem neceſſitas, audaces confirmet

met ipſe conſtans ſibi animus, ipſa demum in Deum & patriam pietas. Tu, ô ſumma juſtitia atque poteſtas, per quam Reges regnant, & omnes in terris bellatores victorias obtinent, inſurge in acerrimos nominis tui hoſtes, atque dextrâ tuâ fac virtutem, ſcelerum noſtrorum vindictam retarda, immenſæ verò potentiæ tuæ digito Paganorum conterendo agmina, juſtas tandem de immaniſſimis gentibus ſume pœnas.

Simul ac dicendi finem feciſſet, multis in exercitu excuſſit lachrymas, in omnibus certè incredibilem quandam alacritatem excitavit. Avidiſſimè quilibet pugnæ teſſeram expectabat. canebant nonnulli diverſum in laudem Deiparæ ſacratiſſimæ Virginis Pæana: nonnulli jam in prœlii procinctu tum ultimæ voluntatis codicillos raptim notabant, tum anteactæ vitæ nævos ſacris confeſſionibus expiabant. nec officio ſuo deerant ex variis Divorum familiis pii Religioſi, qui, in ipſius periculi limine, cohortibus ſe immiſcentes, pro loci

Præparatio exercitus ad prœlium.

& tem-

& temporis commoditate, devotis exhortationibus mentes Christianorum militum disponebant, & contra omnes Sathanæ insultus muniebant. Osmanus in suo impotenti animo fingebat jam, ipsâ adhuc adventus sui horâ, certam Turcarum victoriam, hostiumque Othomanicæ domus extremam ad internecionem cladem. atque eâ spe insolescens, cibum sumere detrectavit, donec priùs omnes, ad minimum Poloni, apud inferos essent cœnaturi. Inde ad primum aspectum viribus, quas oppositas vidit, contemptis, nullâ ex continuo itinere exercitui quiete concessâ, eodem ferè momento, novo & inaudito hactenus bellandi exemplo, illic castra sua locare, hîc Polonos aggredi jussit. Coorta inter excubias Cosacorum Zaporohensium & Turcarum speculatores velitatio, non magni in Cosacos impetus initium dedit: quem cùm fortissimè sustinerent, & æquè pedites ac equites in barbarorum agmina summo ausu irruerent, ne tamen ictu suo defessi ab ingruente Osmani exercitus vi obrue-

Primæ velitationes & certamina.

obruerentur, latitantes in collium & ſylvarum anfractibus Hungarorum ac Germanorum peditum cohortes, improviſâ eruptione factâ, laſſis jam Zaporohenſibus ſuppetias ferebant. Excurrebat & Chodkievicius, Ruſſinovianis (qui vulgò Liſſoviani vocabantur) & nonnullis gravis & levis armaturæ equitibus, atque ſelectâ ex univerſo exercitu alacrium militum catervâ ſtipatus. Acrius poſtea commiſſum prælium appropinquans nox diremit. Pedites, arboribus ſe inter virgulta obtegentes, cum manifeſtâ Ianizerorum jacturâ ſclopeta ſua in eos explodebant. Equites magno utrinque ardore, animante ſuos Chodkievicio, manus conſerebant. Nec tormenta Turcica talem, ut illo boatu ſuo minabantur, ſtragem in Polonis ediderant. Septem numerabantur equi ex Chodkievicianâ cohorte interfecti, unus ex gregariis militibus interemptus, ictus in dextrum pedem majoris bombardæ globo Zawiſza, adoleſcens, ex Kiſcianâ cohorte, ſtirpe nobilis, qui poſtea in caſtris maximis doloribus

excru-

excruciatus animam exhalavit. Bohodanus etiam & Czarowic, deductæ olim à Vitoldo Tartarorum coloniæ posteri, semperque in Livonicis ac Moschoviticis bellis egregiâ in Rempubl. fide insignes, & tunc communi cum Turcis Mahometanâ superstitione minimè devincti, non tanquam cum religionis suæ sociis, sed sicut cum patriæ hostibus acerrimè dimicantes occubuerant. transfixi sclopeto Rusinovius legionis, Iedrzejovius, qui ex eo vulnere obiit, & Kluscius levis armaturæ, Klebecus Livo & Ryszkovius gravis armaturæ equitum Præfecti, atque Rakovius peditum centurio, quos Ioannes Stanislaus Sapieha supremus Magni Ducatus Lithvaniæ Marschalcus propriis sumptibus in exercitu alebat. vulnerati plures, occisi aliquot in variis cohortibus equi. Sed hanc, qualiscunque fuerit, jacturam, notabilis Turcarum clades compensavit. *Auferebantur sua frequenti Turcarum manu cadavera, à peditibus verò Polonis generosi ducebantur equi, inferebantur castris equorum

ſplendida ornamenta, veſtium elegantiſſimarum exuviæ, haſtarum fragmenta, variique generis armorum reliquiæ. lixæ etiam & calones, pecuniâ, auro, & pretioſâ ſupellectile locupletati, in caſtra redibant. Vſaim Baſſa monoculus, qui Skinder Baſſæ in Siliſtrenſi præfecturâ ſucceſſerat, & tunc ſummâ autoritate atque bellicâ laude inter omnes ferè, qui aderant, Turcarum proceres eminebat, globo transfixus, maximo ſui in exercitu Turcarum deſiderio relicto, vitam cum morte commutavit. Quidam ex præſtantioribus Oſmani aulicis, Aſiæ minoris præfecti cognatus, vivus quidem in poteſtatem Polonorum venit, ſed præ nimio vulnerum dolore, cùm nullam vocem exprimere poſſet, ſtatim expiravit. Tartari ſe pauci admodum velitationibus ingerebant. ad diſtinendum enim Lubomirſcii dextrum cornu deſtinati, ſylvis tantum inhærebant, neque præclari quidquam facinoris, præter ſolum barbarum clamorem, edebant.

Proſpera iſtius diei in primo conflictu

auſpicia pro optimo reliqui belli augurio reputabantur.

Subſecutâ nocte iniit Chodkievicius conſilium de ulteriori progreſſu. Ardebat invicti animi Imperator ſummo pugnæ ac gloriæ deſiderio ; & antequam medius campus hoſtium foſſis ac munitionibus undique impleretur, Martis eventum experiri cupiebat. Commiſſarii cunctationem ei ſuadebant, neve Reipubl. fortunam extremæ committeret aleæ, flagitabant, cùm & ſubſidia generalis totius Regni expeditionis tardarent, & Vladiſlaus, ad alteram fluvii ripam, ab exercitu ſuo disjunctus, periculo non careret. Annuit facilè ſalutaribus ſententiis Chodkievicius, optimè animadvertens, rei gerendæ occaſionem præ manibus ſibi eſſe, nec invito pugnæ neceſſitatem ab hoſte inferri poſſe. Vladiſlaus, omnibus impedimentis cum magnâ exercitus ſui parte ad Braham relictis, ſelectæ militiæ ac nobilitatis flore comitatus, in caſtra ad Chotinum venit. ſed ſive præ nimio æſtu, dum armatus in ipſo diei ardore

Conſilium de belli progreſſu.

Vladiſlai adventus,

& dore à Cameneciâ ad Tyram contenderet, ſive etiam ex repentinâ aëris Moldavici mutatione (quæ plerumque ad inſtar acerrimi hoſtis multa robuſtiſſima quævis corpora vexabat) in gravem ac periculoſum inciderat morbum, quo plurimum conflictatus, & cum ſummâ etiam animi ægritudine, durante illâ expeditione, lecto affixus in caſtris decumbebat.

ſubſecutus ſtatim morbus.

Simulac Dziambegerejus Tartarorum Chamus Oſmano ſe conjunxiſſet, magnæ inter eos interceſſerant ſimultates. barbaro faſtu elatus Princeps iniquis oculis intuebatur Cantimirum, genere & gradu inferiorem, propriumque ſubditum, ſibi ab Oſmano præferri, eum in ſummâ veneratione apud omnes Turcas haberi, &, præter vetus majorum inſtitutum, in Siliſtriæ & Beſſarabiæ Præfecturam evehi. Inde non illo ſtudio ac obſequio, quod utrumque promittebat, mandata Oſmani exequebatur, verum nomini ejus infenſus in ſuis ſeorſim ſtativis permanebat, atque Tartarorum commoda ſatagendo, nec communicato

cum

cum Turcis consilio, Nuradinum fratrem suum natu minimum, aliosque fidos & rei militaris peritissimos proceres, quibus se & Cantimirus immiscuerat, ad vastandas Russiæ & Podoliæ ditiones expedivit. Turcæ nihilominus in Polonorum perniciem semper intenti, ab hostili conatu non abstinebant. Legio tunc Petri Opalinscii (qui dum post hanc expeditionem in Palatinatum Posnaniensem Ioanni Ostrorog successisset, magnamque sui in omnium animis expectationem excitasset, in ipso virilis ætatis flore extinctus est) in diurnis vigiliis excubabat, cui opposita aliquot Turcarum agmina versus Lubomirscianam portam se convertebant, & jam plures illorum equites congredi cum Opalinscianis speculatoribus cœperant, donec uno ex Grzymultovii cohorte nobili viro desiderato, in speciem fugæ juxta præscriptum Chodkievicii terga dederint. Interim castra ab omni militiæ gradu, pari labore ac summâ celeritate muniebantur. tam Chodkievicianæ, quàm Lubomirscianæ portæ objecerant

Nuradini in Poloniam excursio.

Certamen novum Turcis.

cerant pedites in modum aggeris plaustra terrâ ac fimo repleta. constituerant etiam ab utroque latere munitiones fossâ cinctas, prout temporis ipsius ratio concedebat. Turcæ, directo ad portam Lubomirscii cursu, Polonos, qui ex castris excurrerant, magno clamore aggrediebantur. sed frequentiùs explosæ, ex Lubomirscii propugnaculo, majores bombardæ plurimos equis dejiciebant, adversamque discutiebant aciem. Reliquæ tamen Osmani legiones, tum in declivio, tum in sylvis abditæ, & ab omni tormentorum periculo remotæ, celeri gradu properabant versus delubrum ritus Græci ex lapide confectum, quod inter rudera Chotinensis oppidi integrum adhuc remanserat. Poloni, qui in suâ ad vallum statione pervigilabant, postquam perspexissent hostem imminere parti castrorum, exiguâ, aut nullâ ferè munitione cinctæ, magno impetu illuc omnes ruebant, unde præsentissimum discrimen observabant: quos Ianizari ex sclopetis suis depellere frustrà conabantur. Non

enim

enim vicinum jam fossæ hostem ibidem expectabant, sed singulari alacritate, & imperterrito animo, turmatim ex vallo in medias desiliebant Ianizerorum cohortes, qui cum vexillis suis sylvam castris proximam occupaverant. Destinatum iis mox est à Chodkievicio subsidium, partim ex cohorte Nicolai Kochanovii trecentorum peditum Hungarorum, qui in ipsâ corporis Vladislai custodiâ merebantur, partim ex Germanorum peditibus militantibus sub signis Ioannis Wejer Palatini Culmensis. Res igitur ad acerrimum utrinque congressum devenit. tandem hostes notabili reportatâ clade in fugam se conjecerunt, quos ulterius insequi, ob insidiarum metum, circumspectus in omnia Chodkievicius vetavit. Cosacorum quoque Zaporohensium castra ingenti ac irrito conatu à Turcis oppugnabantur. tot majorum ac minorum bombardarum globi conjecti nihil effecerunt. Cosaci enim, viribus suis freti, longiùs à fossâ excurrebant, hinc cum Turcis cominus dimicabant, illinc in aperto campo sclo-

Turcarum insultus in Cosacos.

po ſclopeta ſua in eos ſecuriùs explodebant. Turcæ animadverſâ manifeſtâ ſuorum ſtrage, amiſſis tribus campeſtribus tormentis, quæ poſtea ſub veſperam recuperaverunt, primos illos conatus turpiſſimâ fugâ deſeruerunt, mox nomen ſuum novo opprobrio contaminaturi. Calonum & lixarum fex, ac puerorum caterva, ludere, non pugnare edocta, ultrò ſe velitationibus, quæ ab utrinque fiebant, intruſerat. dum milites ſigno receptui dato in caſtra ſe contuliſſent, imbellis illa turba prœlium redintegravit, & impetu in hoſtes facto ſolo clamore adeò eos perterruerat, ut Turcarum agmina, quæ plùs quàm ex centum vexillis conſtabant, perturbata ac diſſipata, ſine ordine, ſine regimine in proximas ſylvas fugam arripuerint, quos non fortium virorum arma, ſed puerilis petulantiæ cachinni ac ſibili, non ſine inſigni potentiæ Turcicæ labe inſequebantur.

Quamvis Chodkievicius præcipiti nonnullorum ſenſu ſæpiùs eo traheretur, ut tergiverſatione poſtpoſitâ, quàm primùm de ſum-

de ſummâ rerum prælium cum Oſmano iniret; dubium tamen ille Martem cautè experiri ſtatuens, non ſpecioſa, ſed tuta elegit conſilia. Totius belli ratio in munitionibus ei conſtabat, unde tum hoſtem ex libitu aggredi, tum imparem viribus ſuis Turcarum impetum ſecurè ſuſtinere poſſet. *Caſtra à Chodkievicio munita.* Vno igitur Græci cultus ligneo ſacello, latebrarum hoſtilium capaciſſimo funditus dejecto, in altero priùs nominato, ex lapidibus fabricato delubro, collocaverat præſidium Ioannis Kochanovii peditum. Collem portæ ſuæ imminentem, ad extruendum unius noctis operâ vallo & foſſâ ſeptum propugnaculum aſſignavit, quod nullâ interpoſitâ morâ machinis bellicis majoribus, & agmine peditum utriuſque Dinhoffii munierat. Relictis Turcæ Polonorum caſtris, quicquid eis roboris inerat, in Zaporohenſes converterunt. *Coſaci à Turcis oppugnabantur.* duabus ferè continuis horis reboabant bellica illorum tormenta: Ianizeri etiam ſclopeta ſua ſine intermiſſione explodebant. Coſaci propugnando defeſſi, ne tandem ingenti

vi,& recentibus hoſtium ſubſidiis ſuccumberent, opem à Chodkievicio ſæpiùs implorabant, quæ illis non defuit. Germani enim Vejeri & Lerunti fortiſſimi viri, ac Georgii Ducis Zaſlavienſis, Ielſcii, Racovii, Hungari pedites, ſtatim omnem Turcarum impetum repulerunt. Ante portam verò Lubomirſcianam, quocunque hoſtium equites comparebant, ab alacri milite, qui ex munitionibus excurrebat, fugati, lautè ſanguine ſuo obvium campum conſperſerant.

Poloni à Tartaris infeſtati.

Ad alteram verò Tyræ ripam Tartari infeſtabant vias à Cameneciâ Braham vergentes, & plures ex Vladiſlai exercitu currus victum vehentes ſpoliabant. Turcæ quamvis à Coſacis attriti, eo tamen magis exulcerati, animum & vires iterum reſumpſerunt. admotæ bombardæ grandiores adeò continuis aliquot horis quatiebant Zaporohenſium foſſam, ut aërem fumare, & oculos caligine quadam obſcurari crederes, atque Chodkievicius palàm fateretur, ſe, ab ineunte ætate bellis aſſuetum, ſimilem

milem tormentorum boatum nunquam in vitâ ſuâ audiviſſe. Edebatur non exigua in equis ſtrages. Zaporohenſes in manufactis cavernis ſine ullo diſcrimine latitabant, cùm in eâ exploſorum globorum ad miraculum uſque multitudine nemo ex iis periiſſet, præter unum Waſiuk (quod Baſilii nomen eſt) veteranum unius legionis Præfectum.

Ad divertendum Turcarum à Zaporohenſibus impetum, Ruſinovii legio, cum aliquot gravis armaturæ cohortibus, deſtinata irruit in hoſtem, qui in primo ſtatim congreſſu fractus, & inopinatè alio in loco, à numeroſis alacris militiæ catervis, ex vallo in eorum agmina currentibus, oppreſſus, non ſolum coactus eſt turpiſſimam fugam capeſſere, ſed etiam, illas ſuas præcipuas bellicas machinas deſerendo, glorioſam prædam Polonis relinquere. Verùm cùm ii in grandiores machinas ad quercus ferreis catenis ligatas cernerent, rotis earum abſciſſis, ne tam facilè à Turcis recuperarentur, ipſas bombardas in vi- *Turpis fuga Turcarum.*

cinum præcipitium dejecerunt. Nec hîc substitit victoriæ cursus, qua utinam Poloni uti tunc scivissent! plùs una effecisset hora, quam 40 illi dies in summis laboribus ac periculis exacti. Turcas enim fugientes insecuti, in castrorum partem Tyræ adjacentem, jam tentoria cum omni supellectili abripiebant, equorum, camelorum, & varii generis armentorum greges abigebant, obvium quemque interimebant: jam Turcica castra Christianorum armorum strepitu, ac magnis clamoribus sæpiùs repetito tremendo cunctis potestatibus Salvatoris nomine resonare, jam sanguine suo inundari cœperant; cùm tam Zaporohensium Cosacorum, quàm adjunctæ iis castrensis fæcis pudenda prædæ libido hostibus ad recolligendas vires ultro tempus dedit: qui dum multitudinem illam spoliis inhærere vidissent, optimam rei gerendæ occasionem nacti, castris suis omnes pepulerunt, multos ibidem necarunt, captos quæsitis tormentis ac meditatâ sævitiâ excruciarunt. major tamen eorum pars

id

id diſcrimen evaſit, ſpoliiſque onuſta rediit. Accurrit ad Chodkievicium, ante ſuam portam equo inſidentem, celerrimus nuncius, Oſmani caſtra à Coſacis Zaporohenſibus & magnâ ex Polono exercitu turbâ eſſe occupata, ac ad plenam victoriam nihil niſi ſubſidia deeſſe: de quibus iteratis vicibus utrumque ducem Konaſzevicius ſolicitabat. Sed Chodkievicius ſolem inclinare jam inſpiciens, nocti pugnam committere prudentiſſimo conſilio renuit: nec minùs fatidico ſpiritu id pertimuit, quod ſuis cladem attulerat, ne prædæ in plurimis ignominioſa aviditas univerſum poſtea exercitum in ſummum præcipitaret periculum. Adeò credibile eſt, magnorum Imperatorum mentibus aſſiſtere ſemper ſingularem quendam Genium, qui illis ſalutares cautelas inſuſurrare ſoleat. Edito tamen profundo ſuſpirio, ac profuſis lachrymis, oculiſque ad cœlum elevatis, magnâ undique militum coronâ cinctus, in hæc verba prorupit. Tua, ô ſupreme rerum hominumque arbiter, poteſtas, tuum *Chodkievicii verba.*
impe-



imperium, & tuum eſt bellum. Tibi ſoli aſſurgit, quicquid ſub Sole videtur magnum; prælia, clades, victoriæ, ex tuo dependent nutu: ad libitum inermes armas, imbelles præſtas bellicoſos, conteris arrogantes, extollis humiles, ignaviſſimo cuique animum addis, ac ubi minimus apparebat timor, tu formidinem injicis, & (ſi ego abjectiſſimus ante Thronum tuum pulvis id eloqui poſſum) in rebus humanis ludis. Atque nunc divinam Majeſtatem tuam ſupplex veneror, quòd ejuſmodi ad me perveniant nuncii, ſtupendæ tuæ providentiæ in patriam meam recentiſſimi teſtes. Perge tanta augere beneficia, opprobriis ſatiare paganos, Chriſtianorum verò propagare gloriam.

Ex hac inſperatâ Zaporohenſium irruptione Turcarum caſtra magna invaſerat conſternatio: nullus ordo aut gradus militiæ terrore vacuus reperiebatur. & ipſe Oſmanus, cùm antea minimè crederet, nihil tam firmum in mundo eſſe, cui etiam ab infirmo non immineat periculum, tum

demum

demum, quàm fragili loco ſtarent ſuperbi, propriis oculis vidit, prioremque faſtum ,, in muliebrem mutavit planctum, dum inani ſpe deluſus conſpexiſſet, præcipites in fugam eos ruere, quorum virtute fretus, non tantùm de Polono exercitu, ſed de univerſo terrarum Orbe certam ſibi victoriam, & magnificos triumphos, vanâ fiduciâ, pollicebatur.

Ob fæliciùs ſubſecutam hanc incurſionem, inveniebantur nonnulli, qui noctu Turcarum caſtra invadenda ſeriò ſuadebant. Chodkievicius primis ſuis adhibitis rationibus opinionem eorum refellebat, in eam potiùs propendendo partem, ut quàm primùm reliquæ Vladiſlai copiæ à Brahâ Tyram tranſiſſent, antequam exercitus pulvere tormentario, annonâ, commeatu, & equis fame paſſim intereuntibus deſtitueretur, aperto jam Marte cum Oſmano decertetur. Verùm cùm ei cunctatione facillimè vires Turcarum frangi poſſe, tam Commiſſarii, quàm alii in re militari verſati legionum ac cohortium præfecti de-

monstrassent, arreptum consilium deseruit, omnemque animum partim ad corrigendas, partim ad augendas castrorum suorum munitiones applicuit.

Insolentia gregarii militis.

Memorabilem gregarii militis insolentiam ad posteritatis horrorem inserere hîc operæ pretium arbitror. Ementitum illi sparserant rumorem, Chodkievicii mandata accessisse, ut omnes Moldavi, qui hactenus Regias partes sequerentur, nunc manifestâ perfidiâ notati, penitus sine ullâ commiseratione delerentur. Ad radicem ii Chotinensis rupis, per familias suas dispertiti, in tuguriolis degebant; alii, in summâ egestate precarium ducendo spiritum, per emendicata suffragia victum quærebant; alii propriis, quantulæcunque erant, impensis se & universam domum sustentabant. In fide itaque publicâ munitos, & ab omni violentiâ securos, petulantissima illa posteriorum militiæ ordinum turba, non uti in Christianos, & Reipubl. deditititios, sed ut in paganos & acerrimos hostes sæviit, non ætati, non sexui pepercit. Senio con-

nio confecti homines, & decrepitæ anus ex ponte Chotinensi in præcipitium detrudebantur, ab uberibus maternis avulsi infantuli, abrepti è sinu paterno liberi, cùm nec extremi utrinque osculi vel tantillum temporis concederetur, in profundum fluminis abjiciebantur, & constupratæ priùs in oculis parentum puellæ. Imbellis hæc multitudo, quæ ejulatu suo cœlum penetrabat, non rabiem eorum mitigare, non plùs quàm ferrea pectora emollire poterat: sed in unum plurima congesta supplicia, miserabilem spectantibus abominandæ lanienæ speciem præbebant. Atrocissimum id facinus coram Chodkievicio celabant omnes, ne fortè malâ valetudine affectus, bili ex tantâ insolentiâ commoveretur. Lubomirscius tamen ad inquirendas exorti tumultus omnes circumstantias, certis personis delegatis, aliquot eorum in recenti crimine captos, in loco patrati delicti suspendi jussit. Sceleris nihilominùs immanitati pœna non correspondebat; quam nec brevi ipse severus innocentis sanguinis

 vindex,

vindex, ac vivorum mortuorumque juſtus judex, in aliquâ notabili exercitus clade repeteret, in communi omnes verſabantur metu.

Caſtra Turcarum mota.

Interea Turcæ caſtra ſua, ex primo loco mota, propiùs ad exercitus Poloni munitiones tranſtulerant, ut inferior eorum pars in planitie Tyræ adjacens, parùm non ęquaretur Zaporohenſium Coſacorum foſſæ. Nihil Oſmanus intentatum ad obtinendam victoriam reliquit, & ubi vel leonina pellis non ſufficiebat, vulpinam aſſuebat, dum varios dolos in capita Polonorum fabricaret. Aliquot ruſticos ex Podoliâ, nobilium ſubditos, qui cum latronibus Moldavis paſſim prædabantur, primùm datâ pecuniâ, poſtea adjunctis non contemnendæ fortunæ pollicitationibus, illexit, ut promptam illi ſuam operam in caſtris Polonorum incendendis offerrent. Vnus jam ex iis ad hanc fraudem emiſſus, Rzepnice pagi, duobus à Kameneciâ miliaribus ſiti, accola, optimo in rem Polonam caſu, in Zaporohenſium Coſacorum manus incidit.

Fraus aliquorum ruſticorum Podoliæ.

dit. adductus in castra, variisque tormentis excruciatus, omnem Turcici astus seriem prolixè enarravit, ac plures nobilitatis Podolicæ subditos, ejusdem sceleris conscios, nominavit. ipse tandem ad aliorum terrorem merito enormi affectus supplicio, cautiorem postea in extinguendis focis reddidit exercitum.

Constantinus Vevellius, qui pridie ante adventum Osmani cum Szembergo ad Chodkievicium ab Vsaimo Vezirazeme venerat, facilè versipellis Græcus ex anteactis diebus colligebat, pacis utrinque consilia nondum affectari. atque ut eò citiùs animum Chodkievicii expiscaretur, semper de responso ad Vsaimum solicitare eum non desinebat, qui inter armorum strepitum minimè sibi literas exarandi hactenus vacasse ostendens; ne tamen legationis ac omnium gentium jura in tardiori Internuncii reditu violari à se, temerario aliquo hostium judicio perpenderetur; Constantinum, plusquam unâ septimanâ in arce Chotinensi detentum, in castra Osmani di- *Vevellius in castra Osmani dimissus.*

 ni di-

ni dimiſit, ac per eum, in ipſo etiam belli ardore, optimam ſuam, in honeſtam & æquam pacem, voluntatem Vezirazemi declaravit. Nihilominus hoſtiles utrinque auſus non ceſſabant. Lermuntus, inter Dinophii propugnaculum & Coſacorum Zaporohenſium munitiones, cinxerat ſe foſſâ celerrimâ operâ confectâ. adhærebant ei Sapiehæ Marſchalci Curiæ Litvaniæ, & Georgii Ducis Zaſlavienſis, ac Ielſcii Hungari pedites: cùm Turcæ, nullo fructu exploſis toties in Coſacos bombardis, Dinophium poſtea aggrederentur, vicinus tam Lermunti, quàm illorum magnatum peditatus, ignominiosè numeroſas hoſtium catervas fugavit. Ne tamen victi omnino viderentur, comparatis ad hunc ſolum uſum vehiculis, è regione portæ Lubomirſcianæ bellicas ſuas machinas tranſtulerunt. Obverſabantur oculis, cum exiguâ tamen jacturâ, per caſtra huc & illuc, prope etiam Vladiſlai tentoria, deſilientes globi, qui maximè petebant Nicolai Sieniavii Inciſoris Regni cohortem, cui Gliniecius præerat,

Turcarum fuga.

erat, ac tunc extra vallum in diurnis excubiis remanebat. atque Iarczevius interemptus evitandi majoris periculi modum exhibuit, dum Glinecius per virgulta ad Lubomirſcii munitiones pedetentim retroceſſiſſet. Aſſignaverat Chodkievicius aliquot peditum cohortibus locum, inter ſuam & Lubomirſcii portam aptiſſimum, ut ſtationes deſtinatas vallo quàm primùm munirent. ſed negligentiùs opus procedebat, ac omnino imperfectum, novam Turcis rei gerendæ occaſionem porrexit. in eam enim partem, quæ nullo aggere ſepta, tutiſſimum hoſti aditum præbebat, edito ingenti clamore ac ſtrepitu, plura equitum ac peditum, denſis ordinibus, coacervata agmina irruerunt. Ziczovius ac Sladkovius, inſigni labe notandi centuriones, nullas excubias, nullos ſpeculatores præmiſerant; ipſi, ac ſi in intimo pacis & otii ſinu inter domeſticos lares degerent, incauti, inermes, veſtibus etiam exutis, pomeridiano ſommo indulgebant. Verùm ibidem, antequam expergiſcerentur, ignaviæ ſuæ juſtas

Ziczovii ac Sladkovii ignavia.

juſtas luerunt pœnas : Turcæ enim ſtatim, ac ſtationes illorum invaſiſſent, utriuſque in primis abſciſſo capite, duobus vexillis ereptis, ad reliquos pedites mactandos ſummâ ſe celeritate contulerunt. paſſim ii cædebantur, inopinatâ hoſtilium armorum vi oppreſſi. Diſperſa vidiſſes ac truncata cadavera ; cum Turcæ amputata eorum, & ad caſtra ſua reſervata capita, non ut viliorum hominum, ſed quaſi ſelectæ Polonæ militiæ, eminentioriſque ſtatus procerum eſſent, gratiæ Oſmani captandæ & præmii aſſignandi cauſâ, ad pedes ea defunctis etiam ferociâ ſuâ illudentis Tyranni turmatim proſternebant. Iam & munitiones ad portam Chodkievicii vergentes deſerere peditum plurimi, vicino periculo territi, cœperant : niſi à Nicolao Sieniavio ac ejus commilitonibus, vigilias diurnas peragentibus, modò minis, modò verberibus revocati fuiſſent.

Edita prope ipſa caſtra duarum cohortium Sladkoviani & Zyczoviani peditatus ſtrages, tantum ſpiritus addidit reliquis

Polonis,

Polonis, quantum minuerat, profligatis illis. Incredibili enim alacritate, maxima florentis militiæ turba ex vallo ruebat in obvios hoſtes, qui primo ſtatim congreſſu diſcuſſi, primoque vigore in conſternationem verſo, atque fugâ arreptâ, non incruentam ex illâ irruptione reportarunt victoriam. per ſuorum enim cadavera terga dabant, amiſſis aliquot, ut ex corporis conſtitutione, veſtiumque exuviis cognoſci poterat, primariis in Oſmani exercitu viris. *Polonorum alacritas.*

Antequam in demoliendâ Ziczovii foſſâ conatus ſuos experirentur, ad diſtrahendas Polonas vires, præmiſerant nonnullas legiones, quæ rectâ ad Græca delubra, verſus caſtrorum partem non bene adhuc munitam ſita, ſolo clamore impetum fingentes, velitationum ludicris in varia loca Polonos ubique intentos divertebant. Nec ſtratagema malè ceſſit. Lubomirſcius, loci iſtius munitione deſtituti evidens periculum animadvertens, illuc ſe ipſum, & exercitus præcipuum robur conjecerat. Non procul inde Ioannes Wejer Palatinus Cul-

mensis, arte & ingenio Apelmanni Belgæ, Architecturæ militaris periti, extruxerat propugnaculum, quod Turcæ magno nisu oppugnare conati, atque mox insigni clade affecti, illam partem castrorum aggredi amplius cessarunt. Furorem eorum astu Wejer domare contendit. ex condicto enim pedites sui, in fossâ abditi, non comparebant, ut Turcæ, destitutum omni præsidio vallum rati, eò audacius ibi irruerent. Quod cùm præstitissent, & ab omni discrimine securi ad ipsam accurrissent fossam, Germani tum temporis sclopetis suis proximos sibi hostes commodissimè petebant. Ita plurimis cæsis, reliquis dissipatis, virtutis ac dexteritatis suæ egregium Palatinus Culmensis edidit specimen. Turcæ nihilominus, prospero ad fossam Ziczovii & Sladkovii successu elati, priorem fortunam tentare appetebant. Nicolaus Sieniavius, cum unâ ducentorum hastatorum cohorte, diurnas peragebat vigilias. Chodkieviciana, Petri Opalinscii Posnaniensis, Nicolai Zienovicii Polocensis Castellanorum, & Ale-

Stratagema Wejeri.



& Alexandri Sapiehæ Orſanenſis Capitanei legiones, in omnemque eventum paratæ, quidnam moliturus eſſet hoſtis, ſpeculabantur. Dum itaque celeri curſu, diſtrictiſque acinacibus, referta Turcarum agmina verſus valli Ziczoviani reliquias impetum ſuum dirigere cœpiſſent; Chodkievicius ilico, repetitis aliquoties acclamationibus, manus cum iis Sieniavio conſerere mandavit, qui majorum ſuorum gloriâ ac virtute non dedecorus, pari genere & expectationi animo in obvium hoſtem irruit, minimè ab ipſo Imperatore deſtitutus. Is enim corporis ægritudinem, diuturno morbo nactam, vivido illo & ingenti ſpiritu ſuperans, mox cum tribus cohortibus accurrit, & Sieniavio ita ſe adjunxit, ut Chodkievicius aciei frontem, Sieniavius dextrum, Zienovicius ſiniſtrum obtineret cornu, Rudomina verò iis in ſubſidio immineret. Diverſum in utroque exercitu ſpectaculum fortuna, per omnia humana, maximè autem in res bellicas potens, & illic exhibuerat. Turcæ ſelecti

Prœlium cum Turcis.

 equi-

equitatus tam robori, quam numero confisi, vultu & gestu victoriæ applausum præ se ferebant. Poloni quatuor tantùm suas cohortes cum numerosis hostium agminibus congredi cernentes, inter spem & metum positi, intimis suspiriis & ardentissimis votis Chodkievicianum conflictum prosequebantur. Interim coortus summus armorum ac hominum undique strepitus, acerrimæ pugnæ faciem intuentibus præbebat. Brevi tamen, urgentibus fatis, ad

Polonos inclinata victoria tumidos antea Turcarum animos eò usque depressit, ut non solùm signa stationesque suas deseruerint, sed turpissimam capessentes fugam, ignominiosissimo certamine, in castra sua ruerent, tanquam ferales aliqui nuncii, non tantum unius exercitus, sed totius jam Othomannici imperii deplorandæ cladis.

Clades Turcarum.

Osmanus inopinatâ copiarum suarum consternatione perculsus, & tunc, cùm inter homines esset, hominem se sensit. Vnico enim adversi casus ictu, ex ferocissimo tyranno in abjectissimum mancipium repentè mu-

tè mutatus, ſolis lachrymis, fæmineis nempe armis, ſalutem, ac tantam nominis ſui majeſtatem tutari non dubitavit: dum inter crebros ſingultus, puerilibus querimoniis, coram ipſiſmet ex prœlio profugis, ſummam eorum ignaviam incuſaſſet, & quos leonum geſtare pectora putaſſet, eos tandem ad inſtar leporum in fugam, auſpiciis Oſmanicis indignam, conjeciſſe vidiſſet. Magnam hanc Turcarum fuiſſe ſtragem, quilibet ex ipſis cadaveribus colligere poterat, quæ in adjacenti Polonis caſtris campo ubique ſparſa patebant. Sed mihi etiam, quando cum Staniſlao Zoravinſcio Caſtellano Belzenſi apud Oſmanum Reipublicæ nomine legatione fungebar, nonnulli, non vulgaris inter Turcas ſtatus, liberiùs retulerunt, nefaſtum illum copiis ſuis extitiſſe diem, quo plurimos veteranos, multorumque bellorum gloriâ eminentiſſimos viros, & præcipuum militiæ ſuæ florem amiſiſſent. Id certò conſtat, nocte, prœlium ſubſecutâ, cum facibus & rhedis ſummâ diligentiâ à Turcis quæſita

Cædes Castellani Polocensis.

fuiſſe præſtantium heroum cadavera. Nicolaus Zienovicius Caſtellanus Polocenſis, legionis unius Præfectus, vir & natalium ſplendore, & ſingularibus in Rempublicam meritis clariſſimus, dum ex equo interempto in medios hoſtes decidiſſet, eodemque momento dejectâ caſſide, quæ ineptè ligata erat, caput denudaſſet, à Turcis undique cinctus, & inter illorum equos huc & illuc volutatus, iteratis confodiebatur ictibus. tandem cum Turcis in fugam converſis, plus quam viginti vulneribus ſaucius, & ſemivivus in plauſtro quodam in caſtra eſt advectus, magnâ nominis ſui gloriâ relictâ, tertio demum die ſpiritum, unde acceperat, reddidit. Ex cohorte quoque Chodkievicii, ſex ex primis ordinibus nobiles, cum vexillifero occubuerunt. Vexillum ipſum, ex Moſchoviticis adhuc prœliis reportatum, non ſine magno Chodkievicii ſtomacho, in hoſtium manus devenit. Zienovicii tres, Sieniavii duo, Rudominæ novem commilitones, unà cum ejus fratre cæſi; vulnerati, Rudominæ cohortis

hortis præfectus, octodecim Chodkievicii, & ex qualibet quatuor cohortium aliquot equites. interfecti sunt nonnulli gregarii milites, & plures equi. Lubomirsciana agmina in stationibus ad vallum permanebant, & ad primum congressus intuitum, subsidium suis ferre properabant. sed celerrima hostium fuga non solùm iis, sed ne Opalinscianæ quidem, Sapiehanæ, & Zienovicianæ legionibus, quæ propè aderant, ad conflictum tempus concesserat. In tanto prœlii fervore, ex alterâ tamen parte, tam Zaporohensium Cosacorum castra, quam Lermunti & peditum Hungarorum munitiones à Turcarum petebantur insultu. verùm quàm primùm Cosaci & pedites in campum progressi, cominus cum iis pugnassent, nullâ interpositâ morâ, omnes, quæ se illuc contulerant cohortes, non sine insigni clade repulerunt. Chodkievicius animos ac vires hostium in commisso prœlio expertus, primum illud de subeundâ pugnæ aleâ consilium exequi instituerat, nisi partim maturi ex Poloniâ subsidii

In Cosacos Turcarum insultus.

ſubſidii ſpes, partim ingraveſcens Vladiſlai morbus conatus ejus retinuiſſent. totus tamen dies in reſtaurandâ Ziczovii foſſâ inſumptus, Turcis nihilominùs cœptum laborem impedientibus, qui heſternâ attriti ignominiâ in ſuis caſtris deliteſcebant. Poſtridie, præter uſitatum hactenus morem, ſummo manè Turcarum legiones rectâ ad portam Lubomirſcianam comparebant. Lubomirſcius, providens ne vindictæ cupidi agmina ſua aggrederentur, tempeſtivè aciem inſtruxit. ad divertendum verò Tartarorum impetum, peditatus Coſacorum Zaporohenſium duo incirca millia in vicinis ſylvis abdita collocavit. Vtrinque bellico certabatur aſtu. Lubomirſciani in ſua ſtratagemata hoſtem allicere ſtudebant. Turcæ, loco occupato dimoveri minùs tutum rati, Lubomirſcianos ulteriùs à caſtris provocabant. Duæ itaque adverſæ acies, prœlio accinctæ, circumſpectâ quadam cunctatione inter ſe contendebant. Anteceſſerunt tamen velitationum præludia, ſæpiùs etiam, at nullo effectu,

Cunctatio Turcarum.

explo-

explodebantur Turcarum majores bombardæ. Declinante jam Sole alacriorem Chodkievicius ex alâ ſuâ militem velitationibus immiſcuerat, quem tres Ruſinovianæ cohortes ſubſecutæ, & magno auſu in aliquot Turcarum agmina irrumpentes, in fugam ea converterunt. Diſſipatas recolligere vires hoſtis putabatur, dum ex declivio ſigna verſus aciem Lubomirſcianam oſtentaret, quo Sviſinii ac Srzedzinſcii cohortes, ad ſuſtinendum primum impetum deſtinatæ, gradum celeriorem jam moverant. ſed Turcæ prœlium omnino detrectantes, in ſylvas ſe receperunt. Zaporohenſes Coſacos, non jam majoribus bellicis machinis, ſed ſclopetis Ianizeri impetebant. verum ii extra foſſas, conjunctâ cum Lermunti & Dinophii Germanis peditibus manu, plurimis nullo ſuo damno interemptis, reliquos fugarunt. Nec Bartoſzovii ad Braham trans Tyram munitiones ab inſultu Tartarorum immunes erant. at facilè una & altera peditum Hungarorum irruptio omnem eorum vim repreſſit.

equi tamen in paſcuis cum armentis abacti, rapaciſſimæ & prædæ aſſuetæ genti inſignis victoriæ loco ſufficiebant.

Polonorum adverſa fortuna.

Fœlicem hactenus periculoſiſſimi hujus belli progreſſum multæ (ut plerunque fert rerum humanarum viciſſitudo) interturbabant adverſitates. Ac primum ſera, & ideo incerta ex Poloniâ auxilia, præſens diſcrimen augebant. Indies, imò in horas diminuebantur cohortes: quotidiana multorum efferebantur funera, graſſante paſſim per ſummos ac infimos, omnemque militiæ gradum, ex aëris aut aquæ infectione, peſtilentiali quodam & contagioſo morbo; ut alii profuſione alvi excruciati, inter tormina ac ingentes dolores, ad inſtar duriſſimi ſupplicii, animam exhalarent; alii reluctantem cum corpore ſpiritum, ob vehementem ægritudinem, etiam inviti retinentes, bellica obire invalidi, & ad propugnandam extremam vim inepti, in caſtris tabeſcerent. Si æquo judicio aliquorum ex poſteris ignavia, per tot ætates partam fortiſſimis factis majorum gloriam obſcu-

obſcurare, aut nonnullorum ex populari-
bus ſocordia univerſæ gentis res continua-
tâ felicitate ac fortunâ geſtas, deturpare
poſſet; jure merito & mortuorum Polo-
norum manes, & ſuperſtitum vitam pude-
re deberet, quòd plurimi in hâc reperiren-
tur expeditione, qui deteſtando in omnes
nationes exemplo, caſtra ac ſigna ſua, diur-
nâ, nocturnáque fugâ certatim deſererent,
nonnulli in fluvio, luctuoſo potiùs fato im-
mergi, quàm periculo pro patriâ gloriosè
opponi; plurimi, dum fugerent, in Tarta-
rorum manus incidere, quàm forti dexterâ
hoſtem repellere, maluiſſent. Iniquo (ut
par erat) animo ferebant Duces tantam
patriæ ſuæ labem, variiſque modis tam ne-
fando ſceleri obviabant, & in reparando
ponte tardiores ſe, non ſine magno exer-
citus incommodo exhibentes, ut vel hoc
ſolo retinaculo turpiſſima eorum fuga ceſ-
ſaret. Inſignia etiam nobilitatis nomina, in
interiori currus parte, inter victualia, hæſi-
tantia, ac inde extracta, tanquam exercitus
ſui probra, per caſtra ducebantur. Atque

eorum ſinguli, qui ſe hoc facinore contaminarunt, publico reſcripto poſtea notati, ad majorem poſteritatis formidinem, bonorum privatione,& perpetuâ infamiâ Comitiorum edicto ſunt mulctati. Reliqui verò, qui huic bello ſupererant milites, ſingulari ſuâ conſtantiâ, & eorum delicta compenſarunt, & ſuam gloriam per omnes orbis partes immortalitati conſecrarunt. Accedebat,ad manifeſtam quotidie exercitus diminutionem, equorum ſtrages, ob avenæ & fœni defectum, cùm ab utrâque Tyræ ripâ hoſtium obſidio difficillimum commeatum, & periculoſam redderet pabulationem. Pulveris quoque tormentarii, qui continuis bombardarum diſploſionibus abſumebatur, notabilis inopia bene navandæ operæ ſpem tollebat. Tot igitur ſimul coadunatis difficultatibus adactus Chodkievicius, novum ex re conſilium cœpit; noctu nimirum caſtra Oſmani invadendi, quæ nullo vallo aut foſſâ ſepta aditu facillimè patêre putabantur. Idem ſuadebat nox ipſa, ad ejuſmodi militaria furta

Pœna publica in fugitivos.

Conſilium de invadendis noctu Oſmani caſtris.

furta obſcuritate ſuâ aptiſſima, cùm præſertim Turcæ à captivis & transfugis traducerentur, quaſi non ſolùm armis, ſed etiam veſtibus exuti, ab equis ſeparati, delicatiùs ſomno indulgerent. Stimulabat non minùs recens Coſacorum Zaporohenſium exemplum, qui tanto terrore, lucente etiam die, totum barbarorum exercitum impleverant; ac ſi plena non daretur victoria, ſola tamen inopinata animorum in hoſtibus perturbatio magnam illis afferret cladem. Ioannes Wejer Palatinus Culmenſis, in Hungariâ bellorum cum Turcis geſtorum non inexpertus, eam ſententiam maximè promovebat; in quam ſummopere vel decumbens Vladiſlaus propendebat: tum Petrus Konaſzevicius, ſuo & totius exercitus Coſacorum nomine, excurſionem hanc feriò poſtulabat. Chodkievicium Coſacorum prædæ aviditas primum maximè deterrebat, nec vaſtus permittebat animus furtivis conatibus rem agere, cùm præclarè factorum inſigni memoriâ celebres olim Imperatores aperto Marte cum

hoste decertare gloriosiùs judicarent, seque in continuâ armorum palæstrâ ita consenuisse, ut non astu aliquo, sed ausu belli fortunam hactenus experiretur. Verùm quamvis aliquoties in tam gravi deliberatione animo hæreret, tandem ne mordicus secundis exercitus successibus obstare videretur, studiis ac rationibus aliorum cessit; atque omnem stratagematis illius apparatum, solitâ suâ in gerendis rebus promptitudine, jam disponebat: Cùm hostes advectis quatuor trans Tyram grandioribus bellicis machinis, Cosacorum Zaporohensium castra demoliri frustrà tentarent. Nec plus ibi damni est reportatum, præter aliquot equos interemptos, & cum Ioacintho legionis unius Præfecto & decem ex gregariis Cosacis cæsos. quinimò, ex loco eminentiori sæpiùs explosis Polonorum bombardis perterriti Turcæ, celeri gradu cum tormentis suis ad pontem nuper extructum retrocesserant. Duas simul castrorum Osmani partes aggredi placuit, unam inferiorem Tyræ adjacentem, Cosacisque vici-

Modus irruptionis nocturnæ in castra Turcarum.

vicinam, in quam viginti millia Zaporohensium, & aliquot levis armaturæ cohortes per declivium, per ascensum autem Georgii Ducis Zaslaviensis, Rakovii, Ielscii, Almadii Hungari, ac Gerardi Dinophii Germani pedites irruere, & hos omnes ad agmen Chodkievicii pertinentes legiones sequi debebant. Ad invadendam verò alteram partem ad sylvam vergentem, reliqui Hungari pedites, cum Ernesti Dinophii Germanis destinabantur: Subsidii causâ Lubomirscio cum suâ alâ, & agmine pedestri Palatini Culmensis, penès nemus quoddam, Tartarorum insidiis obnoxium, in eminentiori colle subsistendum erat. Mandaverat Chodkievicius levis armaturæ cohortibus, ut in excubiarum, si aliqui apparerent, speculatores, excitato priùs clamore ac strepitu impetum facerent; illis fugatis illico in castra Turcica irrumperent, ea verò cursu accelerato occuparent Zaporohensium, & tam Hungarorum, quàm Germanorum pedites. Tunc quoque assignatum fuerat tempus, communi totius exerci-

exercitus acclamatione, tubarum, tibiarumque clangore hoſtes obruendi. Ipſi Duces cum haſtatis, & gravis armaturæ cohortibus, & cum Palatini Culmenſis agmine, in maturum auxilium intenti, in patenti campo ſucceſſum illum ſpeculari volebant, quò faciliùs & profligatis peditibus ſuccurrerent, & tam Tartarorum, quàm Turcarum impetum ſuſtinerent. Determinatum opus inchoari commodiùs non niſi diluculo poterat. Relicti ſunt in caſtrenſi præſidio ii, qui caſtra ſequebantur, & extra ordines militiæ, partim ob cohortium ſupplementum, partim propter proprium uſum, à ſingulis ferè militum privato ſumptu ſuſtentabantur. Nec contemnenda illorum extitit manus: imò alter exercitus apparebat. arma omnes portabant, ſclopetis etiam utebantur, ut penès unum aliquot reperiſſes. inde Turcæ igneas Polonorum fuiſſe copias profitebantur.

Vladiſlaus primogenitus Regis filius, Regni magna ſpes, Princeps de Republ. Polonâ, alterâ parente, altrice certò &

propa-

propagatrice ſuâ, optimè ab ineunte ætate merendi ſtudioſiſſimus, ob creſcentem morbum in caſtris relinquendus, piâ quadam & conjuncta cum luctu ſolicitudine, omnium animos impleverat. diſceſſurus inde quilibet, quoties ad decumbentis Principis vile tuguriolum oculos convertiſſet, ſtatim & in mente graviter pungebatur, remanere ibi inſidiis hoſtium expoſitum, gloriæ ſuæ pignus, exercituſque univerſi decus. Prætoriana tamen cohors, cum Kochanovii peditibus, ab eo non dimovebatur. Eo igitur præmiſſo ordine jam ex Chodkievicianâ & Lubomirſcianâ portâ egrediebantur ſimul cohortes. Silentium omnibus indictum, teſſeraque prœlii data. Hinc autem caliginoſa nox, illinc hoſtium ſecuritas, optimâ fauſti ſucceſſus fiduciâ unumquemque muniebat. Ac in ipſo procinctu, dum nihil aliud præter auroram expectaretur, repentino non caſu equidem, ſed æterno quodam fatorum nexu, pluvia ſereno cœlo exoriri cœpit, quæ adeò invaleſcebat, ut Zaporohenſes Turcarum ca-

ſtris jam vicini uſum ſclopetorum omnino ſibi hoc repentino imbre jam eſſe ademptum Chodkievicio nunciarent, & ex illâ, ubi erant, ſtatione miſſionem flagitarent, ne brevi illuceſcente die ſtratagema expergefactis hoſtibus palàm fieret. Idem & aliis cohortibus vitandum erat. ac proinde ſtatim reliquus exercitus, injuncto ſibi ſilentio, in caſtra rediit. Pluviam illam immortale ſingularis Dei Opt. Max. providentiæ beneficium, cùm ſubmiſſâ Numinis adoratione agnoſcant in omnes ætates Poloni. humanitus enim nocturna hæc excurſio bene illis ſuccedere non poterat. nam in uno plura objiciebantur diſcrimina, cùm omnia primis nonnullorum relationibus contraria, ipſe poſtea in caſtris Turcarum viderim, quæ loco valli cingebantur, in eâ, quam conabamur aggredi, parte, bellicis machinis, denſo ordine inter ſe connexis. Qualibet nocte ex paſcuis ad dominos ſuos abacti equi ibidem ligabantur: apparebant accenſæ totâ nocte lucernæ ante præcipua tentoria. hæc verò funibus adeò

ſtrictum

ſtrictum in modum erant colligata, ut nec ſemitam inter ea conſpexiſſes. atque hoc ſolo impedimento non ſolùm equites, ſed & pedites Poloni, noctu præſertim, omni aditu illinc arcerentur, ſæpiuſque ipſi cadendo non tam facilè hoſtem feriiſſent, quàm ipſi frequentiſſimis Turcarum ictibus ſuccubuiſſent. nec adeò ſomnolentos Turcas, ut narrabatur, obſervavimus. nam more inſtitutoque eorum, noctu omnia peraguntur conſilia, viſitantur amici, inſtruuntur menſæ, parantur convivia & privatæ comeſſationes, lege Mahometanâ vetitæ: ſomno etiam ſopiti, horridis ubique & creberrimis acclamationibus ad preces & ſupplicationes ſuperſtitioſas excitantur. Ad extremum, ut verum (quemadmodum fides hiſtoriæ à me requirit) fatear, dum caſtrorum Oſmani ſplendorem ad hunc uſque diem conſidero, vix credibile videtur, exercitum Polonum, plebejos maximè, abſtinere manus potuiſſe à tantâ prædâ, quæ eos ſine dubio, turpiſſimo lapſu in extremam cladem & perennem ignomi-

Adventus Vevellii. niam conjecisset. In ipso ab utrinque hostilium conatuum casu, Constantinus Vevellius, tanquam tractandæ pacis Commissarius, venerat, cum literis Radulonis Palatini Valachiæ, qui Chodkievicium ardentissimè solicitabat, ut ad Vsaimum Vesirasemem, internuncium aliquem rerum usu pollentem quàm primùm mitteret; debitam verò ei per omnium gentium jura non solùm securitatem, sed etiam cum dignitate Reipublicæ Polonæ singularem inter barbaros reverentiam sacrosanctè pollicebatur. Nihilominus Chodkievicius, communibus omnium votis stimulatus, cœptum aggrediendi noctu Turcica castra consilium iterum exequi studebat, eodem quo nudius-tertius ordine: ac maturiùs jam se ad constitutam excursionem accinxerat exercitus, cùm aliquot ex cohorte Moscinii Hungari, & ex cohorte Dinophorum Germani profugi sub ipsam vesperam, rei gerendæ seriem hostibus patefecissent. ita ut tunc occultâ quadam fatorum dispositione bis tentatum opus dissolutum sit.
Illâ

Illâ tamen nocte, Cosacorum Zaporohensium manipulus, Tyram transgressus, quoscunque Turcarum in pascuis somno sopitos invenerat, armentorum grege abacto, omnes interemit. Antequam certum negotium, quod Commissariis cum Zaporohensibus intercesserat, recensebimus: (quandoquidem hactenus longè latéque per varias gentes famam eorum pervagari cognoscamus,) non abs re fortè videbitur, vel per transennam, de initiis, moribus, ac institutis illorum recensere ea, quæ & à peritis accepi, & ipse videns annotavi. Omnes ferè ex Russiâ originem ducunt. quamvis plurimi ex majori & minori Poloniâ nobiles, infamiâ notati, tum nonnulli ex Germaniâ, Galliâ, Italiâ, Hispaniâ etiam, ob patrata facinora extorres, inter illos inveniantur: qui tamen religionis Græcæ cultum observare, Ruthenicam linguam exercere, abjectâ generis, si quæ inerat, claritudine, plebeja cognomina assumere, atque omni civilitate depositâ, agrestem vitam degere coguntur. Domicilia majores

Origo, vita, & mores Cosacorum Zaporohensium.



eorum ſixerant in locis naturæ miraculo munitis, quæ Boryſthenes ad oſtia ſua vergens alluit. Catadupas olim veteres appellarunt Geographi, nunc à Roxolanis vernaculo ſermone Porohy vocantur. Ibi ante corruptam diſciplinam militarem, omnes per cohortes & legiones diſtributi, in ſummo obſequio, & continuo bellorum exercitio degebant, & tanquam nidulo aliquo affixi, palæſtram hanc propter alias occupationes deſerere nefas putabant. Victum parcâ manu, tum ex venatione, tum ex piſcatione quærentes, frugalitatem per omnia colebant. ab urbanis commerciis ſegregati, reique familiaris nullam aut parvam notitiam nacti, ab intemperantiâ & inſolentiâ alieni, nihil aliud præter arma ſola attendebant. In Oczakovienſibus campis fæliciſſimè ſæpiùs cum Tartaris dimicabant, & gloriam pro peculio ſatagentes, excurſionibus maritimis ditiones Turcarum infeſtare non deſinebant. Exercitus eorum aliquot tantùm millibus conſtabat, & obſervabantur gradus militiæ, veteraniſque

nisque & emeritis summus præstabatur honos. Quamobrem Divi Poloni Reges, jura, privilegia, ac immunitates certas iis largiti, singulari gratiâ bellicosos subditos suos fovebant, & prompto ubique patrocinio protegebant. Successu postea temporis, dum fœcunda culpæ secula & eorum priscum morem depravassent, indies hæc colluvies excrescere cœpit. Non jam ex virtute & meritis censebantur milites, sed passim dabant nomina ex ditionibus Russiæ ab agriculturâ, à variis opificiis profugi. Rustica imbellis illa multitudo non nisi gravis veteranis esse poterat. inde æmulatio ac dissensio exorta vetus militiæ institutum interturbabat, parsimonia versa in rapinam, disciplina in contentionem, obsequiumque in licentiam mutatum. Prædabundi vagabantur passim per Russiam, Litvaniam, Kyoviensem & Braclaviensem Palatinatum. patebant libidini eorum Ecclesiæ, fisci & nobilitatis bona. copiis etiam Reipubl., duce Stanislao Zolkievio, decertatum est cum Nalevaikone exercitus il-

tus illorum Præfecto, qui profligatus, & cum ſceleris ſui ſociis captus, in comitiis Varſavienſibus enormi ſupplicio immanium criminum dignas luit pœnas. Non ſolùm verò vi, ſed & variis per præcipuos viros tranſactionibus, Reſpublica inſolentiam eorum compeſcere, ad primumque illos ordinem redigere enitebatur. Quotieſcunque enim aliquam ſuſcipiunt expeditionem, numeroſos exercitus ex rapinâ ditionum Regni alunt; ex bello reverſi, quaſi colonias quaſdam per vicos & urbes, tam Regias, quam Nobilitatis, ducunt, omnique Præfectorum ac Dominorum ſuorum obedientiâ ſe exolvunt. Pauci ex veteranis in ſuis ad Boryſthenem domiciliis commorantur, reliqui, partâ toties prædâ locupletati, rei tantum Oeconomicæ cum uxoribus & liberis operam navant. otio verò allectati in forenſes contentiones ſe immiſcent, ac in Comitiis, frequentibus legationibus partes eorum promovent, qui Græci ritus religionem profeſſi, in Latinos invehuntur, & Occidentalis, Catholicæ

nempe,

nempe, Ecclesiæ imperium renuunt. Non pridem ſtipendiarios ſuos voluit eſſe Reſpublica, quibus quotannis certa pecuniæ ſumma Kyoviam reportatur. Summum apud illos obtinet regimen exercitus Præfectus, qui loco inſignium geſtat baculum ex arundine confectum. atque ut tumultuario modo, non ſuffragiis, ſed ſolis acclamationibus, & frequentibus pileorum in candidatum ejectionibus, eligitur: ita ſæpiùs inſtabilis vulgi libidine magiſtratu privatur; quàm diu tamen munere ſuo fungitur, penès eum remanet ſupra quemlibet Coſacorum vitæ & necis arbitrium. Secundum honoris obtinent gradum quatuor bellici Conſiliarii, vocati Aſſavlii, cum Legato, qui Subſtitutus Præfecti exercitus nominatur. Sequuntur poſtea Caſtrorum, bellicarum machinarum, legionum præfecti, tum Centuriones, & publicus Notarius, qui cenſus & ſumptus eorum notare, & conſilio religionis Græcæ Monachorum literas ad Regem & Proceres Regni exarare ſolet. In Trechtimirovo, Pa-

latinatus Kyovienſis oppido, quod iis Reſpublica, ob fidelem ex præſtitis meritis, grati animi memoriam, donavit, aſſervantur, cum exercitus Præfecti & Conſiliariorum ſcitu, eorum privilegia, tormenta bellica, varia ex dirutis Turcarum emporiis importata ſpolia, militaris etiam ſupellex, ac Regia vexilla, quæ illis in ſignum ſupremi dominii, quotieſcunque pro Republ. arma ſumunt, à Regibus Poloniæ ex inſigni benignitate mittuntur. Quando arduum aliquod negotium in exercitu incidit, ad concionem vocatur ab ipſo Duce univerſa plebs. atque is primùm vultu ad reverentiam & modeſtiam compoſito, aliquoties verſus multitudinem ſe inclinans, deſtinatum ingreditur locum, & detecto capite, ſub extenſo Regio vexillo, inter cæteros aſſidentes, ſolus cum IV Conſiliariis ſtat, ſtatumque cauſæ, quæ in deliberationem venit, pleno comitatis ſermone, proponit. Tunc vel crimina, ſi quæ illi objiciuntur, diluit, aut, in proprium uſum, aliquem ab exercitu favorem ſubmiſſe petit.

Illic

Illic omnia, quæcunque accepit, munera proferre, atque, ut ea ſibi concedantur, multitudinem flagitare debet. Hæc ſi renuat, omnia libidini ejus non vulgari, in voce & geſtu, cultu permittit. Dum Præfectus exercitus eos alloquitur, verba illius ſummo ſilentio excipiunt, poſtea ſententias ſuas alternis obruunt acclamationibus. Ad bellum maritimum aptiſſimos longus effecit uſus. vehuntur lintribus, quibus à latere ad inſtar tabularum faſciculos ex arundine compactos, contra tempeſtates & fluctus maris adnectunt, ac ſummâ velocitate onuſtis triremibus Turcarum ſæpiſſimè potiuntur. Plurimi eorum frameis non utuntur, ſed ſclopetis omnes. quo genere militiæ Reges Poloniæ, potentiſſimorum in orbe terrarum Principum peditatum adæquare poſſunt. Caſtra etiam, dextrè in aliquot ordines redactis plauſtris, ad normam fortiſſimi propugnaculi muniunt, quæ Tabor appellant, & contra hoſtium impetum extremum ibi quærunt refugium. Hi itaque Zaporohenſes ad bellum Turci-

cum accersiti, dum Borodavcæ, ignavissimi, ut antè commemoravimus, hominis culpâ tardiùs, quàm ex communi usu erat, castris Polonis se conjunxissent, nec ob adventum hostis, sibi aut equis competentem commeatum comparare potuissent, largiter profectò juvabantur à militibus, tum fæno, tum exiccato pane. at respectu tantæ multitudinis illis victus non sufficiebat, his diminuebatur. Cosaci verò indies magis frendentes, iteratis querimoniis Petrum Konaszevicium turbare non desinebant, qui,pro insigni suâ in Rempubl. fide, pullulantem in exercitu suo seditionem statim Chodkievicio & Commissariis denunciavit, obnixè petens, ut serpenti malo maturè obviam irent. Zaporohensium alii missionem flagitabant, alii immensam mercedem exigentes, turpissimè (ut vulgus solet) cum patriâ suâ nundinabantur. Vladislaus, cujus nomen in summâ apud illos est veneratione, communicato cum Ducibus & Commissariis consilio,Petrum Opalinscium Castellanum Posnaniensem, Lubomir-

Tractatio Cosacorum Zaporohensium.

bomirſcium & Iacobum Sobieſcium in caſtra eorum, cum æquiſſimis pro communi bono poſtulatis, miſit. Adducti ii in publicum conſilium, cum ſummâ obſervantiâ à Petro Konaſzevicio ſunt excepti. Vtrique collegæ viſum erat, ut Sobieſcius eos alloqueretur, tanquam plurimis & præcipuis ex belli Moſchovitici contubernio optimè notus. Nec audientis multitudinis volubilitas, nec temporis ipſius ratio prolixum poſtulabat ſermonem. Brevibus igitur verbis, honorificè tamen, Vladiſlai, Chodkievicii, & Commiſſariorum nomine, enumeratis eorum in Rempubl. meritis, & collaudato præſenti obſequio, per ipſius Vladiſlai ſalutem eos Sobieſcius obteſtabatur, ne difficilimis Reipubl. temporibus, & in extremo ferè diſcrimine deſererent religionem Chriſtianam, Patriam, & tot ſeculis partam gloriam. Ad reſarcienda verò damna, in ſummis publici ærarii anguſtiis, quinquaginta millium florenorum donarium illis obtulit. Hoc unum tamen ſolicitabat, ut poſt eventum belli iſtius proſperum,

ſine querimoniis & Ruſſiæ Provinciarum ejulatu, in aſſignatis locis promiſſam pecuniam expectarent. Duriùs hæc excepit jejuna plebs, quæ plerunque timere neſcit, & præmium jacturæ impar, & incertum ſolutionis tempus, communi acclamatione incuſabat. Tandem præparatis eorum antea, per Petrum Konaſzevicium & alios legionum præfectos, animis, facilè omnia inſinuavimus. id tantùm mordicus poſtulabant (quod nos ſtatim conceſſimus) ut pollicitationes noſtræ publico continerentur inſtrumento; hoc verò Chodkievicii & Senatorum, qui expeditioni Chotinenſi aderant, ac omnium Commiſſariorum ſigillis obſignatum, ac propriis manibus ſubſcriptum, quàm primùm ad Regis notitiam perveniret.

Interim ne Chodkievicius, Conſtantino Vevellio aliquot diebus in caſtris detento, abhorrere omnino ab honeſtis pacis conditionibus videretur, in eam incumbebat curam, ut aliquem Internuncium, modeſtiâ & judicio commendatum ad Veſira-

ſemem

ſemem mitteret. Iacobus Zelinſcius, aulæ Lubomirſcii præfectus, omnium expectationi reſponſurus cenſebatur. Hic itaque unà cum Vevellio, certa à Chodkievicio & Commiſſariis mandata ad Vſaimum detulit. Ac in primis more inſtitutoque omnium gentium petiit, ut illic commorandi, ſic inde redeundi, conjunctam ſuam cum decoro Reipubl. ſecuritatem. Poſtea veteris amicitiæ ſingularia exempla recenſuit, non ſine magnâ apud amicos cognatoſque Regis ſui Principes invidiâ. ſudore & ſanguine Polono Valachiam ac Moldaviam propugnatam cum livore Chriſtianorum. meditati contra Othomanicam domum belli vix non univerſæ Chriſtianæ Reipubl. ſpretam ſocietatem. ad primum denique inaugurationis Oſmani nuncium, Petri Ozdze Trembovelienſis Capitanei ad Ianuas Legati profectionem, ut is ex adepto avito imperio, præmiſſâ novo Principi gratulatione, antiqua, inter duo hæc imperia, fœdera, Regio ac totius Poloniæ nomine, confirmaret. Nullo tamen merito

Zelinſcius in caſtra Turcarum proficiſcitur.

Sigiſ-

Sigiſmundum ab Oſmano laceſſitum judicabit poſteritas, dum Otſinovium Secretarium ac Internuncium ejus, multis opprobriis ſatiatum audiet. Si Coſacorum ſuetâ inſolentiâ irritabantur Turcæ, ex conſuetudine ſociorum & amicorum Principum, aut per literas, aut per nuncios cum Rege expoſtulandum priùs, quam bellum erat proclamandum. Retinendæ enim Turcarum amicitiæ cauſâ, maximo ſtudio ac ſummo ſemper conatu, Zaporohenſium licentiam refrænare Reſpubl. intendebat: diſtentæ eo Reipubl. vires, armáque diſtracta, dum Coſacos reprimere deberent, Tartaris reſiſtere cogebantur. Oſmani igitur nutu, ex quo pendent Tartari, arceantur eorum in Poloniam incurſiones: facilè & Reſpubl. providebit, ne quid à Coſacis Turcæ detrimenti capiant. Tales de futurâ pace ſermones conferente Zelinſcio cum Vezirazeme, belli tamen fortuna ab hoſtibus tentabatur. Summo manè legiones eorum ad ſylvam caſtris Polonis oppoſitam comparere cœperant. mox di-

rectas

rectas versus Lubomirscianam portam grandiores bellicas machinas sæpiùs explodebant; frequenti globorum ictu, ex cohorte Stanislai Stadnicii concisi sunt aliquot equi, interemptus Breniecius, & alter ex commilitonibus auditu privatus. Appropinquante jam meridie, omnia illa, ac numerosissima, quæ circa sylvas cernebantur agmina, Ioannis Wejeri Palatini Culmensis munitionibus retrò relictis, vehementi insultu ad fossam Moscinii tendebant. Hungarus enim ex ejus cohorte transfuga, eam valli partem ut minori præsidio & rudiori operâ munitam, præsentissimo patêre periculo sciens, Turcas illuc ducebat. Quorum equites, ligatis ad arbores equis, dum se Ianizeris adjunxissent, pari omnes validissimoque impetu demonstratum à proditore locum petebant. Inopinato strepitu implentur Polona castra, conclamatur ab omnibus, jam fossam transsiliisse hostes: animantur à Ducibus milites, anhelans turba, quò vocatur, currit. Chodkievicius tractandæ pacis abjectâ

 spe,

ſpe, deploratáque Zielinſcii vitâ, per ſacra fidei myſteria, per fas patriæ & communem ſalutem, per chariſſima denique cujuſlibet pignora, ſuos obteſtatus, in hoſtem omnes ruere jubet, ipſe verò, ante Lubomirſcianam portam equo inſidens, cum Prætorianâ Vladiſlai cohorte ad ultimum ſe periculum reſervabat. Lubomirſcius autem ad foſſam Moſcinii ſubſidia diſponebat. At Poloni, cum extremo fato ſummâ fortitudine decertantes, tanquam devota pro Republica capita, deſiliunt ex foſſâ imperterriti ſclopetis exploſis, manibus & armis hoſtibus commiſcentur. Tandem Numine propitio inclyta Virtus triumphavit, Turcarum plurimi occubuerunt, præcipui aliquot capti, & lethalibus vulneribus confoſſi, brevi pòſt interierunt. Vidiſſes vix non ad nauſeam truncata Turcarum capita à viliſſimo quoque trahi, geſtari abſciſſos cum annulis digitos, ſericeas veſtes, pileos Turcicos ex tenuiſſimâ Aſiaticâ telâ contextos per caſtra venundari, barbarorumque numiſmata paſſim oſtentari.

Fekiety

Fekiety Hungarus invaſerat relictos in ſylvâ equos, necatiſque qui illic manſerant Turcarum nonnullis, & equis aliquot abactis rediit, multò plùs præſtiturus, ſi maturius ei adveniſſet auxilium. Karakaſz Baſſa Budinenſis Præfectus (quæ dignitas plerunque non niſi optimè meritis, & in re militari eminentiſſimis Proceribus confertur) illic cecidit. Magnâ ille nominis famâ elatus, & ab univerſo Oſmani exercitu pridie interitus ſui honorificentiſſimè exceptus, bello adhuc Chotinenſi magis inclareſcere ambiebat: nec vaſtus animus Vſaimum, gloriæ & Principis gratiæ æmulum, ferre poterat. Dum igitur ignavum ſuum regimen modò convitiis, modò ſcommatibus proſcinderet, fidelemque cum dexteritate operam in delendis hoſtibus Oſmano polliceretur, ejus ductu Turcæ conatus illo die omnes exequi ſtudebant. Verſipelli ingenio præditus Vſaimus, lubens tumido homini, & rei cum Polonis gerendæ penitus ignaro, palmam detulit. In primum ſe impetum Karakaſz Baſſa inſeruit:

 ſeruit:

ſeruit : in ſubſidiis ejus collocatus Vſaimus, quamvis ſuppetias ferre debebat, acerrimum tamen, majoremque ſuum, quàm Poloni eſſent, hoſtem ultro deſeruit, ut ex clade atque cæde illius, Oſmani antea conceptam de ſe opinionem reſtauraret. Karakaſzii cadaver quadrigis albis, & cooperto curru in caſtra advectum, cunctis lugubre exhibuit ſpectaculum. mortuo magni habebantur honores, totiuſque exercitus conſperſum lachrymis funus cum barbaro ejulatu efferebatur. Canitur & nunc à Turcis, qui Heroum in bello defunctorum manes ſingulari cultu proſequi ſolent.

Moſcinii Hungarus proditionis ſuæ exhibuit pœnas, ob infelicem ſucceſſum, & quaſi malè præſtitam fidem, in minutas partes à Turcis diſſectus. Verùm ii vindictam ſimulantes, ſequenti die caſtris ſuis egreſſi, plurium legionum ſigna & bombardas majores poſtquam de longè oſtentaſſent, tandem cum illo apparatu in declivio quodam uſque ad veſperam latitabant.

bant. Tartari non procul ad Braham oppidum more ſuo prædabantur, aggreſſi eos, qui Cameneciam victus cauſâ ſe contulerant, vehiculis ac equis ademptis, plurimis in vincula conjectis, cæteros mactarunt. Magna exercitus pars jam ſe accinxerat ad comparandum Cameneciæ commeatum, ſed multi eo prætextu turpiſſimam fugam in animis volventes, ſeveri edicti anſam dederunt, ne quis Tyram tranſire auderet. Tunc primùm Chodkievicius univerſum exercitum ad concionem vocavit, atque viribus ob diuturnitatem morbi deſtitutus, & in ſuo tentorio lectiſternio ſuffultus, languidâ voce, novum, inſperatum, generoſi verò cujuſque auribus ingratiſſimum conſilium in hæc verba propoſuit: *Prima vice ad concionem vocati milites.* Pertinacem Oſmani in continuando bello mentem optimè omnes cernitis: quanta equorum ex fœni penuriâ, quanta omnium ex continuis morbis ſtrages graſſetur, docet vos quotidianus tot calamitatum ſenſus. retentorum ſtipendiorum ſolutio tam citò non eſt ſperanda, maturaque *Oratio Chodkievicii.*

que ſubſidia fruſtrà expectantur ; quandoquidem nulla de adventu Regis , ac generali Regni expeditione notitia hactenus ad nos pervenerit. Hoſtem aggredi diminuto & attrito exercitu , qui equitatu, maximo ſui robore privatur , periculoſum arbitror : impetum Turcarum iteratis vicibus in caſtris ſuſtinere , minùs tutum ob notabilem pulveris inopiam cenſeo. Nunc de modo & ratione receptus ſententias veſtras promite. Vbi enim de dignitate & ſalute Vladiſlai Principis agitur , ſatiùs erit acervatim recedere , quàm ſparſim fugere.

Ceſſavit hîc Chodkievicius , verſiſque huc & illuc oculis , vultus, geſtus, motum denique militum ſuorum contemplabatur. Vnde facilè colligi poterat , vocem hanc genio ſuo & gloriæ tot rebus geſtis acquiſitæ imparem ideo emiſiſſe , ut uniuſcujuſque in exercitu expiſcaretur animum. Fæliciſſimè ejuſmodi tentamen Imperatoriæ ſucceſſit arti. Omnes attoniti , inſolitam Chodkievicii orationem duriùs exceperunt. à primo ad ultimum ruebant cuncti

in hanc

in hanc ſententiam, honeſtiùs cenſeri, pro patriâ gloriosè occumbere, quam evitandi, inevitabilis tamen, fati gratiâ ignominiosè fugere. in arduis probari virtutem, in periculis agnoſci viros. ducerent ſe (abducere enim nefas eſto) quò vellent generoſi Duces, mox conſtans obſequium ſacramento militari confirmatum iri. Petrus quoque Konaſzevicius, cum præcipuis legionum Zaporohenſium Præfectis illic præſens, ne latum quidem unguem ab eâ exercitus concordiâ abſceſſerat: ita ut ignobilis illa multitudo cum nobiliſſimis etiam viris alacritate contenderet. Chodkievicius igitur, facto cum Commiſſariis ſecretiori conventiculo, alloqui denuo in hunc modum exercitum cœpit: Communes veſtras pro tuendâ chariſſimâ patriâ voces, intenſa ſtudia, fortiſſimorumque militum invicta pectora, quantopere animum meum cum ægro corpore luctantem refocillarint, videt hic, cui abdita humanarum mentium arcana ſemper patent. Nunc jam vires reſumo, nunc hos artus quaſi revivifcere

Alacritas militum Polonorum.

Chodkievicius iterum alloquitur milites.

vivifcere

viviſcere ſentio, dum florem Reipubl. meæ in priſtinâ majorum gloriâ refloreſcere intueor. Macte innatâ fortitudine, ô Polona & Litvana Militia ! priùs me deſeret conflictatus tantis doloribus ſpiritus, quàm ego tuos deſeram conatus. Auſpice DEO, cujus hîc vertitur cunctis poteſtatibus adorandum Nomen, fortunâ Duce, Virtute veſtrâ comite, lubens vel cum extremo anhelitu præibo, quocunque nos Patriæ fata vocabunt. Ne verò me, aut Commiſſarios ingratos putetis, quamvis poſteritas ſuum unicuique decus rependet, cœlum mercedem parabit, Reſpubl. (ſi me bello huic ſuperſtitem cernetis) devinctam ſe meritis veſtris agnoſcet, & Regia benignitas digna periculis veſtris præmia diſtribuet: Nunc tamen ſalutem populi pro ſupremâ lege conſiderantes, ligatam ſolvimus poteſtatem, vobiſque loco donarii trimeſtria integra, prout quiſque ſub ſignis meretur, ſtipendia pollicemur, fidemque noſtram promiſſis addicimus.

Dimiſſâ concione, conſternationem primam in

mam in gaudium converſam aſpeximus. prodibant milites ex tentorio Chodkievicii lætitiâ geſtientes: hi dextris juncti mutuum in diſcrimine auxilium ſpondebant: illi fugæ, ſi compareret, autorem diris devovebant, nihilque in caſtris tum temporis aliud præter tales perpetuas acclamationes audiſſes: hîc ſtando moriendum; hîc extrema mala potiùs expectanda, quàm ſigna derelinquenda.

Irruptio Coſacorum Zaporohenſium in caſtra Turcarum.

Coſacorum Zaporohenſium octo millia eâdem nocte irruperant in caſtrorum Turcarum inferiorem partem, ubi cæſi Karakaſz Baſſæ ſtativa erant. inſignem occaſionem ex ipſâ nocturnâ obſcuritate nacti, exiguo opere tentoria occuparant, quibus diſcerptis, Turcis, qui nihil adverſi metuentes ſecuriſſimè dormiebant, confoſſis, equis, camelis, & Karakaſz Baſſæ, ut præfecti militiæ, ſigno, & ſplendido rubro vexillo, atque diverſi generis ſupellectili potiti, in caſtra ſua incolumes properarunt.



Tardior Zielinſcii reditus Chodkievicium mirum in modum afficiebat, ac ad

eum repetendum uni ex Turcarum ſpeculatoribus tradi juſſit ad Radulonem Valachiæ Palatinum pertinentem Epiſtolam, quæ brevi ad manus Zielinſcii pervenit.

Conſilium Vladiſlai cum Senatoribus.

Vladiſlaus à Medicis præmonitus, morbum Chodkievicii in horas magis invaleſcere, Senatores & Commiſſarios ad ſe acceſivit, de ulteriori belli progreſſu deliberaturus. Acceſſit unanimis conſenſus, caſtra anguſtiori ambitu ſtringi, Regem verò tam de periclitante Chodkievicii ſalute, quàm de expeditionis iſtius ſtatu certiorem reddi. Quidquid privatum conſtituerat conſilium, per Conſtantinum Plichtam Caſtellanum Sochaczovienſem, & Iacobum Sobieſcium abſenti Chodkievicio referendum erat, niſi lethalis ipſius morbus prohibuiſſet.

Extra caſtra tamen velitationes non deſinebant. inſtabat Polonorum alacris miles. Staniſlaus Zoravinſcius Caſtellanus Belzenſis, Senatoriâ dignitate, & legionis in exercitu præfecturâ venerandus, atque longo morbo affectus, imperterriti nihilominus

minus

minus animi vigorem indicavit, dum ſe ſelectæ magnatum juventuti, Nicolao Sieniavio, Ioanni Rozrazevio, in iſta Martis ludicra immiſcuiſſet. Simon verò Kopiczynius, Chriſtophorus Waſicinius, Ioannes Gdeſzynius, Ioannes Swiczynius, cœptum redintegrabant certamen. Fekiety ad infeſtandum hoſtem expeditus, magnum equorum numerum, mulos, bufalosque plurimos adduxerat.

Rediit cum Vevellio Zielinſcius, repentinâ magiſtratus mutatione retentus. Nam Dilaver Baſſa, Meſopotamiæ Præfectus, origine Cerkieſſum, alii Roxolanum affirmant; ſunt qui narrent, dum poſt necem Oſmani à Ianizeris in domo ſuâ obſeſſus, à captivis Ruſſis acerrimè defenderetur, Ruſſico eos ſermone animaſſe. Is itaque, provectâ ætate, longo rerum uſu, atque ſancito cum Perſarum Sopho fœdere, magnam ſibi apud Turcas conciliaverat autoritatem. Auxerant ei Oſmani gratiam raræ ex Aſiâ advectæ opes, quibus præter naturam, juvenis, & aliàs magnarum rerum con- *Reditus Zielinſcii.*

temptor Princeps adeò inhiabat, ut ſordidiſſimum quemlibet avaritiâ ſuperaret. Empto Dilaverius illorum, qui aulâ potiebantur, favore, & Imperatori donatâ magnâ in auro pecuniâ, quamvis tardiùs in caſtra veniſſet, ſtatim tamen ſummum Primi Veſiri Magiſtratum obtinuit, dejecto Vſaimo, qui ob geſtum infeliciter Chotinenſe bellum, vulgi tædio affecti invidiâ, & furentis Principis odio flagrabat. Parùm abfuit, quin & vitâ privaretur, niſi eum nonnullorum vetuſta amicitia juviſſet, quæ eum in Secundum Veſirem promovit.

Adeptâ Dilaverius primâ in Otomanico Imperio dignitate, bellandi ob decrepitam ſenectutem minùs cupidus, ac munerum, quæ ab Internuncio Polono offerebantur, avidus, arcano communicato conſilio cum Hodziâ ſacrorum Imperatoris Miniſtro, & in pueritiâ pædagogo, atque cum Æthiope Giſleragâ, libidinum palatii præfecto, humaniſſimè Zielinſcium tractavit, promiſſiſque Legato venturo publicis
liberè

liberè veniendi & recedendi literis, pacis ſpe eum plenum dimiſit.

Zaporohenſes tamen nocturnis ſuis excurſionibus hoſtes vexabant, fixa eorum trans Tyram tentoria occuparunt. cædebantur ſomno obruti Turcæ. alii celeri verſus pontem ſuum fugâ inopinatum periculum evaſerunt. Coſaci verò, ſolam quærentes prædam, ſpolia pro plenâ victoriâ reportarunt. Fortuitus nihilominus caſus Vſaimum, de quo plura retulimus, Veſirem ſecundum, ibidem cum aliis pernoctantem, in extremum ferè diſcrimen impulerat, vix enim ex manibus unius Coſaci elapſus, veſte pretioſâ, pileo, cingulo, armis atque pecuniâ ſpoliatus, tanti nominis vir, totâ nocte erroneus, in nemore vagabatur, repertáque anguſtâ ſpeluncâ, ramis cujuſdam arboris coopertâ, in qua abſconditus aliquantulum latitabat, illuceſcente die, præ pavore ſemivivus, & vix à Turcis agnitus, ad pontem ſuum pervenit.

Poſtquam proxima mortis ſigna in Chodkievicio apparerent, tum ut ipſe in

ſeceſſu commodiùs amplæ domui ſuæ diſponeret, animamque, mox corpus coacervatis doloribus exhauſtum derelicturam, ante horrendum tremendæ Majeſtatis Tribunal, Sacramentis ritu Chriſtiano præpararet, tum ut obitus ejus faciliùs in ſuo & hoſtium exercitu celari poſſet, in arcem Chotinenſem eſt devectus. Quicunque tranſiens Chodkievicium vehi cognoviſſet, is veluti jam Imperatoris ſui funus efferretur, ita de longè lachrymis atque ſuſpiriis coopertum undique, tanquam jam feralem currum, proſequebatur. Quò faciliùs variis ærumnis afflictus exercitus commeatu recrearetur, Nicolaus Koſſakovius Capitaneus Wiſnenſis, cum Woronicii levis armaturæ cohorte, Korſunenſibus Ioannis Danylowicz Palatini Ruſſiæ, & cum ſelectis Palatinatus Volyniæ equitibus, ac Vladiſlai centum peditibus, dum plauſtris hinc & inde adverſus hoſtium inſultus ſepiretur, ad Cameneciam iter convertit.

Vigente adhuc & florente omnis ordinis militiâ, latè caſtra Polona extendebantur. at de-

at deficientibus copiarum viribus, Lubomirſcius propugnaculum Wejeri dirui, reliquas munitiones coarctari, & Zaporohenſium caſtra propiùs Dinophii vallum ſubmoveri curavit.

Frequenti prædâ ineſcati Coſaci noctu expedierant duorum millium legionem, quæ ab Hungaris Bobovii peditibus, tum & à lixarum & calonum plurimis comitata, Tyramque tranſgreſſa, ſueto ſtratagemate nonnullis tentoriis Turcicis eſt potita. multi interempti numerabantur, alii ſolo ſtrepitu diſſipati, cùm terga darent, in Tyrâ mergebantur. Occupaverant jam Zaporohenſes Turcarum pontem, exquiſitâ operâ, magno labore à Valachis & Moldavis juſſu Oſmani fabricatum, quem parvo opere diſrupiſſent, ſi ut vincere, ita victoriâ uti ſciviſſent. Verum ſpoliis incumbendo tempus terentes, Turcis illo clamore in caſtris ſuis concitatis, ſatis ad reprimendum omnem impetum ſpatii conceſſerunt. *Zaporohenſium irruptio nocturna.*



Tandem Chodkievicius cùm naturæ & gloriæ ſatis, patriæ ac familiæ ſuæ parùm vixiſſet; *Chodkievicii obitus.*

vixiſſet ; poſt tot morborum ſupplicia, Epilepſiâ enecatus : qui ex publicis privatiſque votis immortalis eſſe debebat, Chotini VIII Calend. Octobr. inter ſecundam & tertiam pomeridianam horam mortalem exuit vitam. Ad conſtituendam tanti Herois magnitudinem, Fortuna & Virtus, raro & pari curſu, contendiſſe mihi videntur. Indulſerat ei fortuna, quamvis aliàs mancipiorum ſuorum negligens Domina, ſumma beneficia. Paternum, Maternumque genus clariſſimis imaginibus reſplendens. Pater Caſtellanus Vilnenſis, Marſchalcus ſupremus M. Ducatus Lithvaniæ, natus Proavis ac Abavis, militarem gloriam, Senatoriamque dignitatem adeptis. Mater Chriſtina Zborovia Palatini Cracovienſis filia, Fratrum ſummis honoribus ac Magiſtratibus eminentiſſimorum ſoror, majoreſque numerans ſuos, magna olim Reipublicæ Polonæ pace & bello decora. Conſiderare in Chodkievicio licebat non poſtremam humanæ felicitatis partem, dignam tali ſtirpe corporis conſtitutionem:
vultum

vultum primo aſpectu auſterum, ſed majeſtatis plenum, alti animi & ipſius Martis indicem, exporrectam frontem, aquilinum naſum, omnia generoſiſſimi Imperatoris ſigna. Eadem Fortuna, quæ magnificam ei dederat originem, nec opes denegavit, conciliaverat & illuſtria connubia, primis nuptiis Sophiam Meleciam, à Palatino Podoliæ & exercituum Regni Duce procreatam, in matrimonium antea Simeoni Duci Slucenſi elocatam, ſecundis Annam Alexandri Ducis in Oſtrog Voliniæ Palatini filiam, utraſque conjuges natalibus, inſtitutione, ſanctimoniâ, pudicitiâ, moribus, & ampliſſimis ætate noſtrâ in Poloniâ hæreditatibus celeberrimas. Non inferiores opibus Honores in eo elucebant: Pocillatoris nempe M. D. Lithvaniæ, & præter ætatem exercituum Ducis, Capitanei Samogitiæ, Commiſſarii Livoniæ, Palatini ad extremum Vilnenſis dignitates. Continuata verò trophæa, iterati toties triumphi, perpetuum quaſi actum faventis fortunæ denotabant. Sed hæc à

Virtute minimè deſerebatur, quæ fidiſſima vitæ Chodkievicii comes, vivit nunc in animis omnium, & tamdiu vivet, quàmdiu Orbis hic ſtabit. Atque commendant inprimis pietatem ipſius, caſtæ mentis ſincerus divini Numinis cultus, preces ante prœlia ſupplices. poſt victorias gratiarum actiones humiles, pluribus ante obitum annis quolibet die Sabbathi, poſt expiata per confeſſionem delicta, ad Euchariſtiam devotiſſimus acceſſus, extructum ſumptuoſo opere Cretingę Patrum Minorum de obſervantiâ cum Baſilicâ Monaſterium, erectum Bichovii Canonicorum S. Auguſtini Regularium cœnobium, in Samogitiâ Patres Societatis Ieſu fundati. Teſtantur Magnanimitatem ſummi ſemper conatus, dicta heroica, ſtructuræ magnificæ, Bichovum vallo & propugnaculis ex militari arte exquiſitiſſimè cinctum; Lachoviciana arx & ingenioſâ munitione & ſplendidis ædificiis præſtantiſſima: armamentaria certè Regia, machinis bellicis ſingulari induſtriâ confe-

confectis repleta. Liberalitatem magnâ suâ laude exercuit, egenos, vulneratos, aut egregio aliquo facinore insignes milites juvabat modò pecuniâ, modò veste, hunc equis, illum armis, omnes hospitalitate devinciebat. Clementiâ maximum sibi nomen apud exteras, remotissimasque gentes comparavit: in captivos, quamvis à naturâ ad iram promptior, nunquam sæviit, imò honore eos & muneribus dignatus dimittebat. æmulatus etiam hac in parte Imperatorum Romanorum gloriam, humanissimum se in hostium cadavera præstitit. Post subsecutam Kircholmensem victoriam, cæsorum Germanorum Ducum funus præsentiâ suâ, splendido apparatu, & magnâ pompâ exornasse illum vidit Rigensium civium turba, audierunt externæ gentes, mirati sunt hostes. Bella Livonica summam illius dexteritatem posteris illustrabunt: loca limosa paludibus, lacubus, & sylvarum saltibus invia, incredibili celeritate victricibus signis peragrabat:
 ad mul-

ad multa castella cùm venisset, vidit statim & vicit.

Volmariam sine suorum jacturâ aperto insultu cepit, recuperavit Parnaviam portâ stratagemate effractâ, per idem bellicum instrumentum pulvere impletum, cujus primus in Hungariâ ad Iavarinum usus Christianis feliciter successit. Rigam, Dinamuntum, Derpatum, Bialocamenum, parvis viribus, magnâ virtute, & insigni artis militaris peritiâ sæpiùs tutabatur. Nec solùm hostibus, sed mari etiam ingenti suo spiritu terrorem incussit, dum naves Suecorum incendisset.

Kircholmensis de Carolo Sudermanniæ Duce Sueciæ Tyranno reportata victoria, omnium potiùs gentium miraculo, quàm historiæ fide dignâ esse censetur: tantâ, stupentibus & nunciis, qui prœlio aderant, felicitate ac fortitudine, exiguis licet copiis, cum numeroso hostium ex Suecis, Gallis, Belgis, Germanis collecto exercitu dimicavit, ut vix audito hoc sæ-

culo

culo exemplo, novem millia armatorum hominum cæsa tunc numerarentur. Addam, quod veritas à me extorquet, Chodkievicium tot annis nec uno prœlio à Suecis attritum, totius Livonici belli fuisse victorem. In dissidiis civilibus, propriis sumptibus, fido consilio, imperterrito animo, dexterrimo regimine, partes sequebatur Regias. Moschoviticis item bellis implicarunt eum fata. in periculosissimo rerum statu exercitui præfuit, atque simul hîc cum seditiosi militis procacitate, illic cum maximis, nec cum suâ parvâ manu comparandis Moscorum viribus decertando, & sartam tectamque Reipublicæ gloriam, ac militantis nobilitatis salutem conservavit. Invidiâ postea apud malevolos laborabat, quòd minùs prospere illam provinciam administrasset. quasi non pro majori reputaretur laude unum civem servare, quàm mille hostes occidere. Ex alterâ Vladislai expeditione, recuperatâ magnâ Ducatus Severiensis parte gloriosus

 rediit.

rediit. Ad extremum, post tot res feliciter gestas, ita benigna sors extremum ejus vitæ cursum disposuit, ut unà cum bello, omnium, quæ antè confecerat, celeberrimo, nominisque immortalis gloriâ caduca sua terminaretur vita. Viguit in eo laboris, æstus, frigoris, inediæ tolerantia. in disponendis excubiis vigilantia, in mittendis exploratoribus sumptuosa solertia. in acie autem instruendâ ea promptitudo atque dexteritas, quæ cum summis veteris & recentioris ævi Imperatoribus æquari poterat. Architecturæ militaris erat peritus, & dimensionum Geometricarum non ignarus. Generosissimorum equorum, exquisitorum armorum studiosissimus, omninoque facie, gestu, gressu, voce, vestitu, ad Martem à naturâ compositus. In dicendâ sententiâ & militaribus orationibus succinctum, at nervosum audivimus. Comem, affabilem, & accessu facilem vidimus; in familiari consuetudine suavissimum: nisi Melancholicus prævaluisset humor, partim à

tim à variis morborum affectionibus, partim à continuis bellorum curis, maximè militari in Moſcoviâ inſolentiâ accerſitus. Et ad Chotinum angebatur moribundus, tum ob immutatum à ſuo conſilio bellici apparatus ordinem, tum ob tarda ſubſidia, & multos in caſtris defectus, qui animi illius ſumma molientis grandem impetum retardabant. Sæpiùs in affectibus moderandis præbuit ſe impotentem, iræ vehementiùs deditus, ac ideo præcipuè in Chotinenſi expeditione militum plurimis inviſus. Fateamur tamen, niſi is inſolentis multitudinis odio, diſciplinam militarem rigore ſuo retinuiſſet, jampridem hæc communi Reipublicæ malo corruiſſet.

Corpus ejus Chotino Cameneciam, Cameneciâ Oſtrogum advectum, atque ibi, neſcio quonam fato, ob privatas fortè domus ſuæ diſſenſiones, decimo quarto poſt obitum menſe, à mœſtiſſimâ conjuge, pomposè eſt humatum. Dignum profectò illud

illud pulcherrimarum virtutum præſtantiſſimum domicilium, ut ipſâ ringente invidiâ, ſupra omnia Græci & Romani faſtus Mauſolea emineat.

Sed nos cum tanti Imperatoris exitu, huic quoque libro finem imponamus.



CHOTINENSIS BELLI

LIBER TERTIVS.

Hodkievicii mors quamvis celari optabatur, mox tamen (ut omnia magna ſolent) tam per Turcarum, quàm Polonorum caſtra divulgata in publicum erupit. Condolebat quilibet ſorti Reipublicæ, quæ in ſummâ neceſſitate poſita langueret, tali fulcro & ornamento orbata. Tum demum ſublata ex oculis virtus ſuſpiriis quærebatur; invidia dolori ſuccumbebat, & quem vivum nonnulli ob arctiorem diſciplinam inculpabant, omnes deſiderabant mortuum. Lithvanæ legiones Principis ſolius regimen affectantes, in obſequio Lubomirſcii non nihil vacillare cœperant. donec Principis ſingularis in majeſtate modeſtiæ exemplum inſigne ediderit, dum ſe velle Lubomirſcio parêre obteſtaretur; rationique congruum judicaret, ſiquidem numeroſus Polonorum

Lithvanarum legionum tergiverſatio.

exercitus poteſtati Lithvani antea ſubjaceret, ut nunc Lithvanorum inferiores numero cohortes Lubomirſcio ut Polono ſubeſſe non graventur, quem muneris Chodkievicii conſortem præteritis comitiis Reſpublica declaravit. Acquieverunt ſtatim Vladiſlai perſuaſionibus Lithvani. nec plùs turbarum exitus Chodkievicii dederat, neque ulla in exercitu apparebat conſternatio. imò quò propiùs imminere extrema putabantur, eò magis ſe uniuſcujuſque efferebat animus. Lubomirſcius verò publico indicto conſilio, autoritatemque ſuam ſtabiliendo, milites in promiſſo trimeſtris ſtipendii donario confirmavit.

Sub idem tempus Fekiety rediens ex furtivâ excurſione, quæ proſpere illi evenerat, incidit in Tartaros, hominum & equorum prædâ onuſtos. hac ereptâ, recenti merito, non vulgare ſibi in exercitu nomen conciliavit.

Turcæ cum vario impetu Polonorum vires hactenus frangere non poſſent, fatigare

gare eas nihilominus conabantur. modò enim barbaris acclamationibus, modò frequentiſſimis grandiorum bombardarum & ſclopetorum exploſionibus caſtra illorum impetebant. Deſilierant & in reliquias diruti Wejeri propugnaculi, quò propiori acceſſu obſeſſos magis terrerent. In maximo verſabantur periculo ſtativa Ruſinovii legionis, quam niſi promptum peditum Lubomirſcii auxilium ſublevaſſet, peſſimè de illâ actum eſſet. Occurrerant inſtanti hoſti ſolitâ alacritate milites Poloni, & acerrimè dimicantes, non poſtremâ ſuâ gloriâ, elegantiſſimis duobus Turcarum vexillis potiti, omnia illorum agmina fugarunt. *Turcarum hoſtiles conatus.*

Kopaczovius levis armaturæ cohortis, & Lermuntus Germanorum peditum legionis Præfecti, vulnerati, imperterritos in eo congreſſu exhibuerunt ſe viros. Turcæ admotis poſtridie trans Tyram quindecim majoribus bombardis, Coſacorum & Ruſinovii munitiones fruſtrà quatiebant. Conſtantinus Vevellius propter

Vevellii à Vezirazeme reditus.

requirendas pro Legato ſalvi conductus (ut jure gentium vocantur) literas, aut tradenda, ſi vellent, mutua pignora, ad Vezirazemem profectus, cum eâ rediit Dilaverii declaratione: Fidem utrinque pignoribus labefactari, præſentiſque Oſmani majeſtatem imminui; Sed publicas omnium nationum more literas non denegari. quas ſufficienter ab eo contextas Vevellius attulerat. Irritis toties conatibus exulceratus Oſmanus, dum vincere jam aut vinci cupidus innato furori habenas laxaſſet, impotentique ſuâ libidine, tanquam hiatu aliquo gentem Polonam penitus devoraſſet, ultimas copiarum ſuarum vires exercere intendit, die nempe ſacrato in honorem D. Venceſlai Bohemiæ Regis, ratione olim & linguâ Polonis conjuncti, vetuſtique Patroni, ac in extremo hoc diſcrimine, tutelaris, ut piè credimus, Divi. Ab octavâ in medio horologio horâ uſque ad ipſum crepuſculum durabat continuus hoſtium inſultus, & plus quàm ſexaginta grandiorum bellicarum machinarum ſine intermiſ-

Omnium maximus Turcarum inſultus die S. Venceſlai.

ſione

ſione boatus: ut tunc cœlum coruſcare, aër caligare, terra gemere, tremere ſylvæ, hiſcere rupes viderentur. Nec res totâ die oculis ſubjecta in unâ aut alterâ paginâ ſufficienter comprehendi, aut à quopiam exactè enarrari poteſt, quo impetu, quo auſu, vel quâ potiùs deſperatione utrinque eſt dimicatum. Grandiores bombardæ trans Tyram fluminis ripæ admotæ, modò in adjacentem propiùs caſtrorum partem, modò in Coſacorum Zaporohenſium foſſam, ac in Vladiſlai jacentis tuguriolum explodebantur. Vnus ex corporis ejus cuſtodiâ Scotus febri vexatus, & in mediis caſtris in ſuo tentorio humi decumbens, quamprimum ad capiendum cibum caput allevaſſet, repentini globi ictu, memorabili equidem caſu interemptus, ejuſmodi ſuâ cæde præſtans exemplum militaribus viris reliquit, faventibus fatis, periculis etiam obvios ſæpiùs remanere tutiſſimos, eos verò, qui diſcrimen ſubterfugiunt, crebrò tamen evitare illud non poſſe. Præcipuum copiarum ſuarum robur converterat hoſtis

 in Pru-

in Prusinovii legionem, quæ equestri pugnæ assueta, brevioribus tunc sclopetis utebatur, & soli suo equitatui fidens humili se vallo cinxerat. Selecta Turcarum militia, equis abjectis, Ianizeris adnexa, & scutis nunquam antea visis ad recipiendos Polonorum ictus munita, tum inter frequentes arbores, & reliquias paulò antè negligentiùs dirutæ Zaporohensium fossæ, facilem proximi accessus modum nacta, undique Rusinovianis imminebat. Tartari ad alteram fluvii ripam horridos clamores edentes, rapidumque cursum, ac si enatare Tyram vellent, fingentes, vano terrore minimè Polonos percellebant. Dum periclitaretur cum suis Rusinovius, Almadii, Bobovii, & Nicolai Kochanovii divulsi à Principe pedites, ad ferendas ei suppetias properabant. Scoti etiam & Hiberni, fidissimi Vladislai custodes, ipso eos cohortante Principe, illuc se contulerant. Ita tunc Vladislaus, majestate suâ postpositâ, propriáque salute comtemptâ, cum non posset corporis, animi viribus juvabat nutantem

tantem in ſummo periculo Ruſinovii legionem.

Invaleſcente hoſtili inſultu , ad nobilitatis ipſius florem res devenit. miſerat enim ad præcipuas legiones Lubomirſcius , ut ex qualibet cohorte alacres aliquot commilitones, ad repellendam extremam hoſtium vim , deſtinarentur. Glorioſa obſervari poterat contentio , omnibus pari ſtudio ad aſſignatum locum ruentibus.

Tyrones à veteranis inexpertam cedi ſibi palæſtram expoſcebant. Veterani ubi conſenuiſſent , ibi nunc aut vincere , aut fortiter dimicando occumbere expetebant. Currebat ad Ruſinovianos alacris nobilitas , capita ſua pro patriâ devovens. Poſtquam tranſiſſent eorum tentoria , qui morbis proſtrati , acerbiſſimum quemque caſum expectabant , edebantur ab iis lamentabiles ejulatus , & deplorantes miſerrimam ſuam ſortem , querimoniæ , quod dum forti dexterâ propugnare communem patriæ ſalutem ſtuderent, tum lectulis affixi,

præ

præ tædio & dolore tabeſcerent, victori verò, quod abſit, hoſti inermes manus dare, & plùs quàm ſervile jugulum præbere, victricis patriæ manibus tantùm ſuſpiriis gratulari cogerentur. Ruſinovii legio ſanguinis Poloni decore, tanquam firmiſſimo ſubſidio freta, mox proſtratas reſumpſit vires. Nobilis illa caterva extra vallum obviam ibat hoſti. magnum inde exoritur certamen. indefeſſi inſtant Poloni, perterriti fugam capiunt Turcæ. ac ubi primò inclinabat victoria, ibi repente ſubſequitur clades. Szembergus ante Almadii munitionum reliquias confecerat in apice collis cujuſdam propugnaculum, quod duas continebat majores bombardas, quinquaginta Hungaros pedites, & Thomæ Zamoiſcii Palatini Kyovienſis peregrinæ militiæ cohortem. Aderant illic & Georgius Præfectus Vrzendovienſis, Andreas, Ioannes, Nicolaus, Staniſlaus, fratres Rzeczycii, qui ubique variis ex occaſione periculis, pro patriâ fortiter ſe objiciebant. Ingenioſo ſtratagemate cum hoſte egit Szembergus. perſpe-

perſpecto enim ejus impetu intra ſuum vallum latitabat. Turcæ, cùm nemo appareret, locum præſidio omnino vacuum rati, accurrunt ſecuri, inciduntque incauti in tot globorum ictus. pauci periculum evaſerunt, magnus illorum numerus ad internecionem eſt cæſus: Ab aliâ etiam Chotinenſis oppidi parte inſultu ſuo fatigabant nonnullas cohortes. ſed ab iis repreſſi, non ſine inſigni ſtrage, per vicinas ſylvas diſſipabantur. Velitationes quoque, quas nox ipſa diremit, feliciſſimè tunc temporis Polonis ſucceſſerant. atque totius diei gloria & fortuna continuata, tantum Oſmano imminuerunt animi, quantum cuilibet addiderunt Polono. Brevi pòſt Turcæ in familiari ſermone, multis ex familiâ noſtrâ, qui legatione fungebamur, ingemiſcendo fideliter referebant, præcipuo exercitus ſui robore Oſmanum tunc fuiſſe orbatum.

In proſpero ſucceſſu, ut ſors poſtulat humana, & adverſa metuenda erant, atque inter media arma amplectenda honeſta pax cenſebatur, ob ſummam præcipuè tormen-

tarii pulveris inopiam, quæ in ultimum discrimen universum exercitum conjicere poterat. Commissarii igitur cum Lubomirscio & Senatoribus, in præsentiâ Vladislai, facto consilio, id maximè agitabant, quinam ex decoro & commodo Reipublicæ legatus ad Osmanum esset destinandus. Senatores autoritatem dignitatemque Ordinis sui tuentes, id sibi omnino incumbere prætendebant. Commissarii ex Ordine Equestri Comitiorum expressâ lege innixi, idem collegio suo publico jure vendicabant. Verùm dum belli momenta moram non paterentur, relictis altercationibus, cum potestate Commissariorum Senatoria autoritas ita est temperata, ut ex illis unus, Stanislaus Zoravinscius Castellanus Belzensis, vir ingenio, judicio, ac in rebus gerendis dexteritate singularis, (qui dum hos commentarios contexuimus, diuturno morbo exhaustus, magno sui tam in Republica quàm inter amicos relicto desiderio, ex hac vita decessit) & unus ex Commissariis Iacobus Sobiescius,

Legati ad Osmanum destinati.

bieſcius, ſimul in legatione ad Oſmanum mitterentur. Vterque eorum Reipublicæ cauſâ lubens injunctam ſibi provinciam, quamvis magnis moleſtiis & periculis obnoxiam, ſuſcepit.

Tractandæ pacis conditiones, propter evitandas malevolorum ſiniſtras interpretationes à Senatoribus & aliis Commiſſariis ſubſcriptas, dederunt legati aſſervandas Andreæ Szoldrſcio Præpoſito Gneſnenſi Regis Secretario,& apud Vladiſlaum Cancellarii officium peragenti. Ipſi verò iter maturabant, acceptis ſecum nomine Lubomirſcii ad Oſmanum & Vezirazemem conſcriptis literis, & certis tam Imperatori, quàm ejus Conſiliariis offerendis muneribus, quæ ex ſuâ militari ſupellectili Vladiſlaus auxerat. Legatos in caſtra Turcica proficiſcentes communibus votis univerſus proſequebatur exercitus. *Legati in caſtra Oſmani proficiſcuntur.* Reperiebantur alii, prout unicuique proprius inſpirabat genius, qui ſortem illorum deplorantes, animis & vocibus impendentia pericula præſagire viderentur:

alii optimâ ſpe pleni omnia ominabantur fauſta. Comitabatur illos nihilominus Polonæ militiæ flos, equorum generoſitate & ornatu, veſtiumque elegantiâ reſplendens. Interceſſerant inter Polonorum equitum & nonnullos Turcarum ſpeculatores, mutuæ etiam de longinquo ſalutationes. ac jam utraque pars ad mutua ſe invitabat colloquia, niſi ea ſeverum Lubomirſcii edictum interrupiſſet. Czauſii aliquot (cubiculariorum id munus eſt) provectioris ætatis & emeritæ militiæ viri, obviam legatis nomine Veſirazemis occurrentes, per unum ex collegio ſuo, decorâ canitie, & promiſſâ barbâ venerabilem, brevi eos, ſed amica oratione interpellarunt. cui dum ſuccinctè & ex Reipublicæ dignitate Caſtellanus Belzenſis reſpondiſſet; eâdem cum barbaris humanitate per ſelectos aulicos ſuos Radulo Palatinus Valachiæ certavit.

Deſcriptio caſtrorum Oſmani. Eam, quæ tum temporis diligentiùs perpendebatur, caſtrorum Oſmani faciem, breviſſimè hîc deſcribere non inutile fortè

eveniet.

eveniet. Nec quis exiſtimet,ad amuſſim & regulam militarem caſtrorum metandorum Turcis uſum eſſe. par illis ratio conſtat, quemadmodum in itinere cum exercitu progrediendi, ſic & ſtativa figendi: cùm quilibet primum, ut ſors indicat, locum occupet. Ad Chotinum verò, hîc ob planitiem, illic ob montes, ibi propter declivia, ad varium naturæ ſitum, variè ſe quoque caſtrorum diſpoſitio referebat. Verùm in ipſâ hominum & equorum ingenti multitudine,diverſi pecorum & animalium generis gregibus, in tentoriorum frequentiâ & ſplendore, machinarumque bellicarum copiâ, prodibat majeſtas quædam, ſpectantium oculos modò ad delectationem, modò ad formidinem provocans. lucebant præcipuorum militiæ & Provinciarum Præfectorum ſpecioſa tabernacula, ad inſtar arcis alicujus moenium artificioſè elaboratâ telâ cincta. micabant paſſim alibi in apicibus globi deaurati, alibi varii coloris vexilla, alibi aquilinæ alæ, ſigna item Procerum, equinæ nempe jubæ ſimi-

 libus

libus globis deauratis adornatæ, aut arundini, aut baculo exquiſitâ operâ perpolito affixæ. Nullus autem pecude aut hominibus vacuus locus obſervabatur, imò referta conſpiciebantur interdiu ac noctu tam publica, quàm privata loca, continuis ſine ullo temporis intervallo horis. tot armentorum genera nunc ex paſcuis in caſtra redibant, nunc ad pabulandum prodibant. Oriente demum & occidente Sole, innumera illa hominum animaliumque turba, quotieſcunque ad Tyram aquandi cauſâ progrederetur, talis exoriebatur pulvis, ut id cernentes obrui ſe caligine putarent. Cæterùm ſi militaris diſciplina, quæ ibi floret, trutinabitur, erubeſcant neceſſe eſt Chriſtiani, quorum hac in parte plurimi à barbaris ſuperantur. Viget illic ſummum obſequium, puniuntur ſeverè rapinæ, prohibetur ſtrictè ebrietas, abſunt longè contentiones & rixæ, duella exulant procul, ac importuni clamores. arma, dum ex acie redeunt, ab omnibus deponuntur, ut non caſtra, ſed togatorum urbem aliquam

quam ingredi te putes. Ita denique, licet à Paganis, superstitiosis devotionibus suis invigilatur, ut magnam noctis partem in eis insumant, horridisque sæpiùs clamoribus ad nocturnas supplicationes excitentur. Excubiæ optimo peraguntur ordine, & ob varios evitandos casus, ante tentoria magna tum accenduntur plerunque totâ nocte duraturæ lampades. Christiani, maximè Valachi, magno tunc premebantur servitio. Iis construendi pontis opera & custodiendi cura erat demandata. Si oneri succubuissent, severissimis pœnis terrebantur, non solùm vitâ eos, qui militabant, privandi, verùm & gentis reliquias, quæ in suis regionibus remanserat, ad internecionem delendi.

Legati igitur per media castra, quò ostentationis causâ à Turcis ducebantur, postquam penès Radulonis stativa ad assignatum locum pervenissent, repererunt Valachiæ proceres, qui illos equis descendentes à Domino suo reverenter salutarunt, polliciti sufficientem pro familiâ & equis

Legationum cum Palatino Valachiæ studia & officia.

equis commeatum. quibus responsum est, Regis & Reipublicæ Polonæ ministros nullius rei penuriâ laborare, nec aliquo victus subsidio indigere: hospitalitatem tamen Christiani & amici Principis non respuere. Vt autem in præstandis officiis par pari Valachiæ Palatino referretur, Petrus Trzelatkovius aulæ Procopii Sieniavii Præfectus, ob singularem prudentiæ & modestiæ laudem, morumque elegantiam, in Secretarium legationis assumptus, Radulonem adiit, ut propensissimam utriusque legati in eum voluntatem declararet, atque de tempore, loco & modo tractandarum pacis conditionum, cum illo tanquam Poloniæ vicino, & inter duo hæc imperia intermedio, fido affectu communicaret.

Veniebat in considerationem, magisne expediret in tentoriis suis Radulonem excipiendum præstolari, an eum prævenire. Sed cùm nemo unquam humanitate peccarit, jamque Trzelatkovius Valachiæ nobilitatis catervâ stipatus, cum eo nuncio rediret, Palatinum nempe cum toto suo

Senatu

Senatu gratissimorum hospitum adventum expectare; inurbanum omnino videbatur, in ipsis primordiis aliquam contemptus suspicionem edere. Inde Legati Palatinum anticiparunt, quos ille è tentorio aliquot gradibus progressus, unà cum assistentibus suis Consiliariis humanissimè excepit, ac ad arcanum colloquium invitavit, cui tantum Katerdziejus Kralevensis Banus, primariæ in Valachiâ dignitatis vir, aderat. Legati, redditis Lubomirscii literis, nihil aliud primâ hac vice ab eo postularunt, nisi ut sibi ad Vezirazemem aditus quam primum pateret: Qua in re optimâ fide Radulo egit, & in conciliandâ pace amicissimum se Regno Poloniæ præstitit, partim quòd Christianum profiteretur nomen, partim quòd sævientibus inter Turcas & Polonos bellis, nec dominatum suum stabilire, nec partas ingentes opes conservare posset. Dilaverius etiam Vezirazemes civilitatis suæ singularia initia statim exhibuit, destinatis quinquaginta Ianizeris, vestitu & corporis constitutione præstantioribus,

Primum Legatorum cum Radulone colloquium.

ribus, qui majoris honoris gratiâ legatis obſequium præſtarent. Arma tamen & in hoc pacis utrinque ſtudio nequaquam ceſſabant. quin imò Turcæ advectis trans Tyram majoribus bombardis, frequentiſſimis earum exploſionibus partem caſtrorum ripæ imminentem demoliri enitebantur. Ante portam verò Lubomirſcianam equites illorum ultrò adeò ſe velitationibus immiſcebant, ut res ad prœlium devenerit, & aliquot Polonorum cohortes, conſertis cum hoſtibus manibus feliciter pugnarint. Simon Kopyczynius, victoriæ fortiter inſtando, in magnum inciderat diſcrimen, cujus equus emiſſariæ haſtæ cuſpide transfixus, dominum tamen ſalvavit. Contrariam agnovit fortunam ibidem interemptus Krinicius cohorti haſtatæ Alexandri Pruſinovii Palatinidæ Belzenſis ſubſtitutus. Nimis tunc conſternatam fuiſſe Turcarum aciem vel ex hoc facilè notabitur, quòd dum Procopius Sieniavius cum ſuâ cohorte à munitionibus Chodkievicii ad ferendas Lubomirſcianis ſuppetias vocatus,

Turcarum in Polonos conatus.

tus, aperto campo, graduque & animo intrepido penes ipsa Turcarum agmina transisset, non solùm ab illis non aggressus, sed ne lacessitus quidem, quò tendebat, pervenit. Mirum quoque contigit, Turcas, cùm sæpiùs eò & legiones & machinas bellicas dirigere ostentassent, nunquam tamen oppugnationem Zvanecensis castelli tentasse, quod à Valentino Kalinovio Camenecensi Capitaneo, alti spiritus heroë erectum, nec adhuc perfectum, ob fluvii autem oportunitatem & Chotini viciniam ut Polonis multa præbebat commoda, ita ab hostè occupatum non levem intulisset jacturam. Panovcensem artem, uno miliari à Cameneciâ distantem, magis ad elegantiam & amœnitatem, quàm ad Martis opus, ab Ioanne Potocio Palatino Braclaviensi, rerum gestarum gloriâ, & rei militaris peritiâ insigni, extructam, magno insultu Turcæ oppugnarunt, irritoque conatu à Tartaris illusi inde recesserunt. Cameneciæ etiam situm ex vicinis montibus diligentiùs speculati, nihilque plus agere ausi,

Zvaniec.

Paniowce.

Armenorum ſub titulo S. Crucis ſacellum in rupe urbi imminenti ſitum combuſſerant.

Dum Legati in caſtris Oſmani morarentur, tranſibant penes eorum tentoria ex prœliis redeuntes Turcæ, quorum hi mutili, illi ſaucii, nonnulli obductas cicatrices præ pudore ſummâ curâ obtegebant; alii commilitonum cadavera, curribus tectis impoſita, curſu celeri in propria ſtativa devehebant.

Primum legatorum cum Dilaverio colloquium.

Atqui Vezirazemes, reſarciendæ veteris Polonorum cum domo Othomanicâ amicitiæ cupidus, legatos in præſentiâ Vſaimi ſecundi Veſirii, & Baccibaſſæ ſupremi Theſaurarii ad ſe accerſiit. Caſtellanus Belzenſis barbarorum aures ſermonis prolixitati minùs eſſe ſuetas, optimè gnarus, paucis verbis, Reipublicæ in conſervandis antiquitus ſancitis fœderibus firmam mentem obteſtatus, Dilaverium tanquam ſupremum conſilii Oſmani Principem, & ad clavum Othomanici Imperii ſedentem ſollicitavit, ut in tam ſalutari utrinque negotio autoritatem ſuam interponeret. Vix credi poteſt,

quàm eum legati accessu facilem, humanitate præstantem, pacis studiosum, cavillationibus inimicum, summam in omnibus dictis & factis fidem ac integritatem præ se ferentem semper agnoverint. Tunc quoque salutatione civili, gestu placido, voce affabili, manifesta statim edidit signa optimæ suæ erga commune pacis bonum voluntatis. Hoc unum à Legatis flagitabat, ut stativa mutarent, atque ea ob commodiora colloquia in suam viciniam, locumque ibidem inter sua & Thesaurarii tentoria assignatum transferrent. Apparebat modò in comitatu, modò in tentoriorum splendore & apparatu, non vulgaris ejus magnificentia, potentissimis quibusque Regibus par, ut quocunque oculos verteres, non Vesirium, sed Monarcham aliquem adiisse te facilè censeres. Rectà à Dilaverio legati se contulerant ad Imperatoris sacrificulum, & non pridem pueritiæ ejus præcipuum Institutorem, ac inde summâ & autoritate & gratiâ apud Osmanum pollentem. Senio jam confectus, & incurvatus *Colloquium cum Hodzia.*

erat, vocem edebat languidam, nullumque penitus animi ostendebat vigorem, imò cùm eum Legati salutassent, veluti simulachrum aliquod, capite immoto, oculis in terram fixis, junctis manibus, lapillos ad instar rosarii, aut coronæ, in filum ordine redactos, tenens, preces suas balbutiebat. Succinctæ Castellani Belzensis orationi, ad fastidium prolixè (ut vitium ætatis fert) respondit garrulus senex, multas inserendo nugas, ac superstitionis Mahometanæ ineptias. In eo tamen à Vezirazeme nihil omnino discrepavit, quòd in reconciliandâ tot sæculis sacrosanctâ inter Polonos ac Turcas amicitiâ, eandem curam polliceretur. Vt verò de pacis conditionibus faciliùs colloquium procederet, Radulo à Vezirazeme ad expiscandos Legatorum animos missus, in primis antiquas limitum controversias objiciebat, quæ ut à communibus Commissariis dirimerentur, ab utrinque concessum est. Radulo postea vehementissimè in Cosacos Zaporohenses invectus, severam, ob tot latrocinia, in eos animad-

Colloquium cum Radulone.

animadverſionem poſcebat. Verùm Legati totius querelæ ſtatum ſatis fusè illi enuclearunt: Coſacorum nempe licentiæ ſcaturiginem manare ex continuis Tartarorum incurſionibus, quas dum ſemper fertiliſſimarum Regni Provinciarum vaſtitas ſubſequatur, tanta ruſticorum multitudo ad ſummam egeſtatem (hæc autem facere & pati quævis rubet) redacta, ultro dominorum ſuorum jugum excutit, in ipſâ deſperatione omnium calamitatum ſolamen ponit, ac inde proprias domos relinquens, aliena quærit domicilia, partimque vindictæ, partim prædæ cupida Coſacorum ſigna ſequitur. Reſpublica nihilominus, ne fœdera cum Turcis ſancita violarentur, frequentiſſimis edictis & Commiſſionibus eorum licentiam compeſcere ſtudebat. parabat ſæpiùs & contra contumaces arma, quæ jam pridem in illos convertiſſet, ſi vires ſuæ Tartarorum irruptionibus non fuiſſent diſtractæ.

Multò etiam major culpa conjici poteſt in Coſacos Tanaim accolentes, magno

Duci

Duci Moſcoviæ ſubjectos, qui latrocinia ſua Zaporohenſium titulo velantes, à maritimis excurſionibus totâ æſtate non ceſſant. Cùm Palatinus Valachiæ Orioviensis & Serocenſis regionum recentem devaſtationem exprobraſſet, ſerioque de tradendis Oſmano Coſacorum primoribus expoſtulaſſet: Legati aliam non adducebant excuſationem, niſi quòd, poſt denunciatum à Turcis bellum, hoſtilia quæque exercere omnium gentium more liceret: priſcam verò Polonorum fidem ac virtutem minimè deceret, ut quos in ſinum ſuum contra communis patriæ hoſtem armorum ſocios accepiſſet, eos ad ludibrium Tyranni, nominiſque ſui perenne opprobrium prodere deberent. Si verò Zaporohenſes ut fœderis violatores puniendi eſſent; eandem mererentur mulctam Bernaſcius, Cantimirus, & univerſa illa Tartarorum colluvies. Nodum tamen in ſcirpo quærebat Radulo, ad varias deſiliendo objectiones: Cecorenſem etiam Zolkievii expeditionem Turcici belli fomitem incuſando.

At poſt-

At poſtquam audiſſet, Zolkievium à Skinder Baſsâ provocatum, arma ex patrio ſolo in hoſticum transferre voluiſſe, illatis rationibus acquievit. Ad extremum id propoſuit, quod Legatos maximè afficere intelligebat, ut nimirum Oſmano tanquam vix non totius Orbis Domino, loco pendendi tributi, non vulgaris pretii munera Conſtantinopolim, quàm primùm ex bello rediiſſet, mitterentur. Tam petulanti & tumido ejus ſermone laceſſiti Legati reſponderunt, Rempublicam ſuam nulli unquam vectigalem fuiſſe, populumque Polonum per univerſum terrarum ambitum libertate celeberrimum, ita eam colere, ut cum illius vel minimâ mutatione, ſuam quoque acceſſiſſe periodum exiſtimet: præ hac ſibi chariſſima pignora vileſcere; in hac conſervandâ nec fortunis, nec vitæ, nec ſanguini parcere. Si Oſmanus priſtinam cum Sigiſmundo amicitiam inire cuperet; Rex Poloniæ cum vicino & amico Principe, humanitate & muneribus certaret, ad mutuò reconcilianda vetera ſtudia

& officia, non verò ad recognoſcendum Turcarum dominium, cùm hactenus Polonia more inſtitutóque majorum his tantùm Dominis pareat, quos liberis ſuis ſuffragiis ad id dignitatis culmen evexerit. Ceſſit & invitus Radulo iſtis legatorum rationibus, nec amplius eos irritando ad Vezirazemem rediit, eâ tamen additâ cautelâ, ut in ſanciendo fœdere omitteretur mentio eliberandorum Staniſlai Koniecpolii campeſtris Ducis, Samuelis Corecii, Lucæ Zolkievii, Vlodimiri Farensbachii, qui ſub arctiſſimâ cuſtodiâ in vinculis uno à Conſtantinopoli miliari deliteſcebant; ne fortè Dilaverius altiùs reputatâ primâ eorum fortunâ ingentem aliquam pecuniam à captivis exigeret; cùm ſibi præ manibus ſint privata & ſecretiora media, quibus ii brevi poſtliminio reverti in patriam poſſint.

Vevellii artes peſſimæ.

Conſtantinus Vevellius, quò technis ſuis gratiam Turcarum magis adhuc aucuparetur, ſolicitabat Legatos, ut aliquot in caſtris aut Cameneciæ ob alia ſcele-

ſcelera capitis damnatos, pro Zaporohenſibus, Turcis traderent, & in conſpectu ſuo mulctari eos curarent.

Fabricator ille doli alter Epéus nihil aliud prætendebat, niſi ut ementito rumore, Koſacos jam à Polonis deſeri, inſenſos eos Vladiſlao redderet, & non contemnendo ſubſidio caſtra Polona privaret. Sed concepta fraus minimè ei ſucceſſit, nec dabatur à Legatis locus vafri hominis ludicris rationibus. Aliquoties tamen Radulo, modò per ſubſtitutas perſonas, modò ore tenus, hoc unum ſatagebat, ut legati propoſitas omnes conditiones ſuſciperent. *Vevellii artes peſſimæ.*

Iam ad varias perſuaſiones adjiciebatur & vanus terror, dum per caſtra promulgaretur, Oſmanum ſex integris ſeptimanis in continuando bello duraturum. Sæpius etiam oſtentantes ſe numeroſæ Turcarum legiones, nunc verſus munitiones Polonas ire, nunc inde redire fingebant, quamvis aliò eas divertere obſervaretur.

Vezirazemis secundum cum Legatis colloquium.

Vezirazemis postquam per Palatinum Valachiæ Legatorum animos frustrà tentasset, tanti Magistratus autoritate plus se efficere præsumebat. Vocatis igitur ad secretum colloquium, vindictam de Zaporohensibus Cosacis, & perpetuum in mittendis Constantinopolim muneribus tributum urgebat. Nec à gravioribus minis tunc abstinuerat, denunciando, Osmanum in castris ad festum S. Demetrii, ad medium nempe Novembrem permansurum, in Moldaviâ verò hyberna peracturum, destinatosque Nahajenses, Crimenses, Bialogrodenses & Dobrucenses Tartaros, ut conjunctis cum Valachis, Moldavis, & Europæis Turcis viribus, ditiones Poloniæ totâ, sine intermissione, hyeme infestarent, atque Osmano primo vere cum ingentibus ex Africâ & utráque Asiâ collectis copiis Polonorum fines transgressuro faciliorem viam struerent. Quum hæc verba Vezirazemes protulisset, fixis in Legatos oculis, summâ diligentiâ gestus illorum considerabat, ac ut magis consternatos redderet, infe-

infectis rebus liberum iis in ſua caſtra reditum indixit. Caſtellanus Belzenſis tumidæ barbari hominis orationi modeſtè, at generosè reſpondit. Communem nimirum hactenus in iſtâ expeditione Martem, dubiamque ejus aleam eſſe; & cladem & victoriam in arcano fatorum ſinu pendêre, nullámque adhuc apparere cauſam tam Turcarum faſtus, quàm alicujus Polonorum metus: ad libertatem natam, libertatíque aſſuetam gentem ſuam, extrema quævis mala citius paſſuram, quàm indomitam divinâ providentiâ per tot ætates cervicem, fœdiſſimi ſervitii execrabile in pendendo tributo jugum ſubituram. Tali finito reſponſo aſſurrexerunt Legati, & valedicendo Vezirazemi gratias eidem agere cœperunt, quòd in iis ſuſcipiendis, tractandis, & nunc remittendis dignum magno Principe fidem, omniumque gentium jura ſacroſanctè ſervaſſet. Obſtupefactus ille conticuerat, & dum Legatos intrepidos, propoſitíque ſui tenaces conſpexiſſet, apprehensâ familiariter utriuſque

manu, ut remanerent, flagitavit, atque exinde in tractandis reliquis pacis conditionibus mirum in modum facilem se præbuit.

Ad peragendum hoc pacis negotium non parvum momentum attulerant largitiones Reipublicæ nomine tam ipsi Dilaverio, quàm aliis intimis Osmani Consiliariis promissæ. Turcæ enim naturâ ad nimiam cupiditatem proni, ac eò lucri avidiores, quòd ex infimâ in summam fortunam à Tyrannis suis plerumque evehantur, communi omnes vitio, auri nempe sacrâ fame laborant. Magnâ quoque Legati distinebantur deliberatione, cujusnam precii munera Osmano offerenda essent, non ut ea inter pacta inserere consentirent, quod omnino inferius gentis Polonæ gloriâ judicabant, sed ut per Legatum, ad confirmanda fœdera Constantinopolim iter suscepturum, à Sigismundo amico Principi mitterentur: cum præsertim Osmanus præter ætatem, imò contra sublimem, quem præ se ferebat, genium, sum-

ſummæ avaritiæ anguſtiis premeretur, & minimâ ſpe elegantioris, ſupellectilis illectus, innatæ cupidini Imperatoriam etiam poſtponeret dignitatem. Sobieſcius itaque, quò cum Vladiſlao & Commiſſariis eâ de re commodius conferret, conſenſu Vezirazemis intercedente, in ſua caſtra eſt profectus. Antequam tamen è tentorio ejus diſceſſiſſet, feriò de prohibendis Tartarorum in Poloniam excurſionibus expoſtulavit, id maximè procurando, ut ob ſummam Turcarum conniventiam, ſine fœderum violatione, liceret Polonis has, ubi Tartari degerent, regiones depopulari. Ingratis Vezirazemes auribus excepit Sobieſcii ſermonem: Tartaros Othomanici Imperii ſubditos, eorúmque domicilia in ditionibus Oſmani eſſe ſita oſtendebat: ac proinde ſi quid Poloni contra Tartaros molirentur, bellum cum Turcis recrudeſceret: ſeverum autem in Chamum Tartarorum à ſupremo Domino elatum edictum pro maximâ vindictâ Polonis ſufficere poſſet.

Sobieſcii in caſtra Polona profectio.

Koſſakovii in caſtra Polona cum commeatu reditus.

Lega-

Kossakovii in castra Polona cum commeatu reditus.

Legatis apud Osmanum commorantibus, Nicolaus Kossakovius Capitaneus Visnensis, redierat in Polonorum castra, commeatu Cameneciâ advecto, recuperatis nonnullis ex nobilitate Volhyniæ captivis, atque profligatâ non contemnendâ Tartarorum manu, qui obsessis omnibus inter Cameneciam & Braham viis, incautè Kossakovium progredi arbitrati, impetum in eum fecerant; sed spe frustrati, móxque fortiter repressi, & more suo dispersi, reliquum Kossakovio iter tutissimum præstiterunt.

Avidissimè expectabatur à Turcis Sobiescii reditus, qui altero die ad Castellanum Belzensem reversus, restaurandæ antiquæ amicitiæ causâ, digna Osmano à Rege Poloniæ missum iri munera pollicebatur, dummodo is eâdem humanitate cum vicino Principe certaret. Deliniti ejusmodi declaratione barbarorum animi, magno ardore cœpta pacis consilia agitabant: nihilque omnino ad flagrantia eorum vota deerat, nisi ut legati ex veteri consuetudine

Osma-

Oſmano ſalutato conſcriptum fœdus tradi ſibi poſtularent. Convocaverat Dilaverius alios Veſirios, Theſaurarium, Supremum omnium cauſarum Iudicem, ac univerſum Oſmani Senatum. Ejus coronâ cinctus, ut pro Tribunali Vezirazemes ſedere ſolent, ita tunc eas omnes cum collegio ſuo tam in veſtitu, quàm in aliis rebus adhibuerat ſolennitates. Venerant in ejus tentorium Legati cum Staniſlao Suliſzevio, qui, ad exequendum Ordinarii Nuncii munus deſtinatus, Oſmanum Conſtantinopolim comitari, ex vigore recentium pactorum, debebat. Aderat & Dziembergereji Tartarorum Chami Cancellarius. Hilares Procerum illorum facies denotabant ſingulare ſanciendi cum Polonis fœderis ſtudium. Multi enim ſenio confecti, aut ob longinquum iter tædio conſumpti, tum aëri Polono minimè aſſueti, omnes verò appropinquantibus cœli injuriis deterriti, nihil aliud quàm ex bello miſſionem intimis pectoribus deſiderabant. Vezirazemes, reliquis tacentibus, & ſolo nutu verbis ejus annuentibus,

Tertium Legatorum cum Vezirazeme Colloquium.

tibus, ſic Legatos alloqui cœpit: Viri Poloni, quòd bonum, fauſtum, fœlixque utrique potentiſſimo Imperio ſit, interruptam inter Reges Poloniæ & domum Othomanicam amicitiam, nunc iterum coaleſcere videmus. Inviolatas à nobis fore pactorum conditiones, ſpondemus: Vos, ne perjuriis fidem veſtram contaminetis, proſpicite. Mox autem ad Invictiſſimum Imperatorem patebit vobis aditus, quos ille, ut fraternos Legatos aſpectu dignabitur.

Ad Dziambergerei poſtea Cancellarium converſus, in hæc verba prorupit: Præſentem te eſſe hîc volui, ut confectæ pacis conditiones non ignores, atque nomine Oſmani, ante cujus faciem pulvis & Scabellum pedum Domini ſui eſt Tartarorum Chamus, ſeveriſſimum ei edictum denuncies, ne amplius infeſta arma Regno Poloniæ inferre audeat. quòd ſi tanti Imperatoris mandata contempſerit, non ſolùm dominio privabitur, verùm etiam capitis pœnam luet. Flexis genibus Tartarus verbis

bis Dilaverii attendebat, & antequam vocem emitteret, inclinato prius ad terram capite, hoc unum inculcavit, ut Tartarorum cum Polonis limites terminentur, loco & fluvio in desertis campis celebri, quem Sina Woda vetustas appellavit. Respondit Vezirazemes: Nulla hîc de finibus Regnorum mentio sit. Tartaris incumbit jussa Imperatoris mei capessere, non verò ea intrudere, quæ ad præsentem negotii statum nihil omnino pertinent.

Colloquium id cum Legatis egregiâ civilitate Dilaverius finivit. acceptis enim operâ Asiaticâ figulinis vasculis, omnes, qui aderant, Vezirii & Bassæ assurgentes, adjunctis multis pro utriusque gentis concordiâ comprecationibus, usitatâ Turcis potione ad elegentiam & saporem confectâ, Legatis propinarunt.

Dimissus Legatus, equis ascensis, antecedebat Legatos, qui cùm ante Osmani tentoria pervenissent, paulùm substinerant, donec eos Dilaverius ipse introduxisset. Magnum, quocunq; spectares, Tyranni fastum, sum-

Aditus Legatorum ad Osmanum.

ſummâ potentiâ & raro visâ majeſtate plena omnia contemplari ibi licebat. Eminebant in edito colle Oſmani tentoria, ad inſtar alicujus caſtelli, non ſolum ad belli uſum, ſed & amœnitatem voluptatémque erecta: comparebant porticus & deambulationes: hîc ſecreta cubicula, illic latè patentia atria, ut Legati viderentur ſibi videre aliquot Regum palatia in florentiſſimâ pace fabricata, non verò unius Imperatoris militare domicilium. fulgebant globi deaurati, alii ex puro auro congeſti, ſericei funes, tentoriorum parietes intertexto auro ſplendidi, ac ſtragulatæ veſti ſimiles. Spatium illud, quod à Dilaverii ſtativis ad Oſmanum extendebatur, Turcarum mirantium multitudinem vix capere poterat. non ætas quemque, non valetudo, non aliqua occupatio retardavit, quin ſpectaculo inſperato occurreret. remiſſi etiam à Vezirazeme Ianizeri, impellebant eò maximam varii generis hominum turbam. Ianitores, atque eorum Præfecti, argenteos baculos in manibus tenentes, holoſericeiſque ve-

ſtibus

ſtibus induti, aditum Legatis ad Oſmanum præparabant. Cæteri Sacerdotum, militiæ, Aulicorum, Cubiculariorum, Scribarum ordines, compté & eleganter veſtiti tantæ pompæ aſſiſtebant. Sedebat Imperator in ſuggeſtu precioſis pulvinaribus ſtrato, framea atque duo cum pharetris extenſi arcus à tergo pendebant. Stabant mimi ac Eunuchi, arcanarum palatii libidinum miniſtri. Idolum ipſe magis, quàm hominem repræſentare videbatur. Corpore enim & geſtu immotus, nullum penitus comitatis ſignum edidit. aquilinus tamen naſus, color ſubfuſcus, exporrecta frons, elati oculi generoſitatem in eo quandam denotabant. Vezirazemes & reliqui proceres, tanquam abjectiſſima mancipia, demiſſis oculis, protenſis ad terram cervicibus, junctis manibus, extremi ſervitii miſerabilem ſpeciem præbebant. Vocati ad oſculum Imperatoriæ veſtis (ut mos aulæ Othomanicæ fert) Legati, unà cum Szuliſzevio, Radulone Palatino Valachiæ, Conſtantino Vevellio, & ex ſuâ familiâ non-

 nullis,

nullis, Osmanum salutarunt. Statim ultimus ex Bassis Lubomirscii epistolam à Sobiescio accepit, & eam ordine per manus collegarum suorum Vezirazemi tradidit, qui illam procidens ante Osmanum, inter pulvinaria, quibus fulciebatur, imposuit. Peractis his ceremoniis, Castellanus Belzensis à Vezirazeme interpellatus, ut brevibus verbis Osmanum alloqueretur, ita exorsus est.

Castellanus Belzensis Osmanum alloquitur.



Ea, Serenissime ac Invictissime Imperator, Clementissimi Regis nostri, & totius Reipublicæ constantissimaque semper meus in retinendâ veteri tum Augustissimâ Othomanicâ domo amicitia extitit, ut etiam inter arma, ac in hoc, quem vidisti, belli furore, salutarem utrique populo pacem meditaretur, & certos Commissarios assignaret, qui restaurandi antiqui fœderis potestatem nunc haberent; quod cum jam prævio numine, & singulari Dilaverii Vezirazemis tui prudentiâ ac solertiâ confectum sit, Rempublicam Polonam constitutam pacem in suo robore conser-

ſervaturam fide jubemus, minimeque dubitamus, te majorum tuorum gloriam ac res geſtas hactenus æmulatum, eorum quoque exemplo integram cum regno Poloniæ pacem colere non recuſaturum.

Cum nihil Oſmanus præ majeſtate Caſtellano Belzenſi reſpondiſſet, Legati jam ex tentorio egreſſuri, munera nomine ſuo ei obtulerunt, inter quæ præcipua erant framea & aliquot bombardæ elaboratâ operâ factæ, quæ Caſtellanus Belzenſis ornaverat aliquot verbis eum in modum prolatis: Optimè novimus, te ſummis opibus affluentem Imperatorem, auro, gemmis, & pretioſâ ſuppellectili non indigere: nec ea nobis in bello, ubi ferrum maximè tractatur, præ manibus ſunt, ſed arma, quibus in propugnandâ patriâ utebamur, hæc tibi amico jam & ſocio Regis noſtri Principi offerimus, fidaque vota adnectimus, ut poſt præſentem Othomanici & Poloni Imperii arctiſſimum nexum, cedant tibi in communis hoſtis

hoſtis noſtri cladem, & tuam inſignem victoriam.

Triumphi undique ex confectâ pace.

Publicæ lætitiæ, quam ex ſancito fœdere univerſus Turcarum exercitus geſtabat, præclara ſequenti nocte edita indicia conſpeximus. Quotquot enim in ampliſſimis Oſmani caſtris numerabantur tentoria, tot in apicibus eorum accenſæ candelæ, per colles & declivia, ac ipſam planitiem, cum incredibili oculorum voluptate, tanquam aliquæ ſtellæ ſereno tunc cœlo micabant. Zaporohenſes, animadverſo barbarorum triumpho, ſclopeta ſua ſigillatim explodebant. idem egerunt in caſtris ſuis Poloni. atque non exiguo temporis intervallo continuus ille durabat fragor, qui etiam ad Turcarum aures pervenerat.

Colloquium Legatorum cum Vezirazeme.

Conquerebatur ſæpiùs Vezirazemes, multos ex Chriſtianis ortos, Turcarum alumnos paſſim ad Polonos aufugere: in quibus inveſtigandis & extradendis variæ obſervabantur difficultates. Id verò præcipuè à Legatis exigebat, ut Poloni primi de Oſmani provinciâ, quam ut hoſtes ingreſſi ſunt,

ſunt, decederent, caſtráque ſua trans Tyram moverent. Nimis periculoſa hæc conditio videbatur, ne Turcæ Vladiſlai exercitum plurimis calamitatibus attritum, & viribus ſuis diminutum cernentes, mutatis ex occaſione (qua bella plerumque conſtant) animis hoſtilem in eum impetum molirentur. Multas ideò & ſpecioſas quærebant excuſationes, ac primùm objiciebant tædioſam temporis protractionem, in expectandis curribus ſuis, equis & cæteris impedimentis ob diuturnæ obſidionis metum in Poloniam avectis. nec minus prætendebant gentis Polonæ decorum, cùm ex conſuetudine militari, qui primi campum ingrediuntur, poſtremi ex eo decedere ſoleant.

Oſtendebant, quantum moræ in tranſitu Tyræ exercitui numeroſo & apparatu belli aggravato inſumendum eſſet. ad extremum non vanam inducebant conſiderationem, ſi Poloni ponte Turcico uterentur, verendum ne in tantâ Turcarum in ſtativis ſuis

permanentium viciniâ , intervenirent ex ambabus partibus calonum & lixarum contentiones , quæ ex parvis ſcintillis magnum incendium excitare, & ſopitum bellum iterum fovere poſſent. Vezirazemes, ut hanc ſuſpicionem depelleret , Ianizeros ad cuſtodiendum, ne deſtrueretur, pontem, & omnes rixas avertendas deſtinaturum ſe pollicebatur. quod poſtea præſtitit, rarâ inter barbaros fide, & ſingulari caſuum humanorum exemplo. Nam Turcæ , qui ad delendum Polonum nomen , magno ſumptu & difficili opere pontem ſupra Danubium fabricaſſent, ii brevi poſt, fatis conſilia mortalium revolventibus , ponte ſuo, qui fines Podoliæ attigerat , hoſtibus domum redeundi commoditatem præbuerunt. Tandem ne tempus altercationibus eluderetur , nunciaverunt Dilaverio Legati , caſtra Polona trans Tyram moveri , multáque trans fluvium apparare tentoria, quæ hominibus & equis vacua , ad fallendos Turcas , extendi ad Braham Lubomirſcius juſſerat. Quamobrem unicum jam ſuper-

ſupererat, ut conſcripta ad amuſſim pacta Legatis traderentur: quæ pari reverentiâ ac humanitate manibus ipſius Vezirazemis porrecta Caſtellanus Belzenſis accepit. atque ea breviter hîc annotare non incongruum cenſuimus.

Staniſlaus Suliſzovius, tanquam venturi Legati Internuncius, Oſmanum Conſtantinopolim comitabitur: Ianuæ Imperatoris Cubicularius ad Sigiſmundum Regem Poloniæ maximis itineribus properabit, ad conducendum, & cum ſummâ dignitate excipiendum Polonorum Legatum: Hic verò quàm primùm fieri poterit, ex Viris genere, autoritate & prudentia excellentibus deſtinabitur: Veniet cum eo Regius Secretarius, qui, more ab aliis Chriſtianis Principibus recepto, in aulâ Oſmani commorabitur: Navigatione Boryſthenis Kozaci Zaporohenſes à Polonis prohibeantur: & ſi de aliquâ ſubditis Oſmani illatâ ab ipſis injuriâ expoſtulabitur, graves illis injungantur pœnæ: Tartari Biallogrodenſes, Tehinenſes, Kilienſes, Dobrucenſes,

Crimenſes, ab incurſionibus in Regnum Poloniæ omnino abſtineant: ab Oſmano verò tranſitu Oczakovienſi arceantur: Quòd ſi alicui Polonorum damna intulerint, ea omnia recompenſent, & Chamus Tartarorum ſeverè ab Imperatore Turcarum tanquam à Domino ſuo puniatur: Huic tamen ab utrinque Edicto non ſubjaceant ii, qui piſcationis & venationis cauſâ per deſertos campos vagantur: Tartari quando ad finitimas regno Poloniæ provincias Turcica ſigna ſequentur, ditiones Poloniæ ne invadant.

Ad componendas limitum controverſias, ex utráque parte Commiſſarii Iudicio & experientiâ pollentes aſſignentur: Rex Poloniæ Tartarorum Chamo ſolitum ſtipendium ſolvat, atque id Iaſſos advehi jubeat, unde certior redditus Chamus Legatos ad ea quæ ſibi conferentur recipienda mittat, & more majorum ſuorum ad bellum à Rege Poloniæ vocatus arma pro Republicâ Polonâ ſumat: In præfecturam Moldaviæ promoveaan-

veantur Christiani ab omni Avaritiæ suspicione alieni, pacis studiosi, utriusque Imperii saluti ac tranquillitati addicti: Arx Chotinensis Palatino Moldaviæ tradatur: Commercia inter Osmani & Sigismundi subditos libera, & tutæ mercatoribus viæ præstentur: Amici & hostes communes reputentur: Pristinum robur vetera pacta retineant, moderna inviolata permaneant: Quicunque autem ea violare ausus fuerit, PERIVRVS ESTO.

Pactis talibus receptis valedicturi Dilaverio Legati, Stanislaum Suliszevium, tanquam Regis sui Internuncium, & eximiæ dexteritatis virum. plurimùm commendarunt, ac ut in hoc suscipiendo cum Osmano itinere, patrocinio ejus protegeretur, obnixè flagitarunt. *Legatorum ultimum cum Dilaverio colloquium.*

Summo postea mane, sine clamoribus & strepitu, tot gentium colluvies, támque ingens exercitus, stativa sua uno versus Prutum miliari retrò movere cœpit: anteibant numerosis agminibus refertæ excubiæ primæ, postremæ pari nu- *Recessus Turcarum.*

mero in monte aliis eminentiore collocatæ, copiarum ſuarum reliquias expectabant: reliqua multitudo, nullo penitus obſervato aciei ordine, inter carros & mulorum ac camelorum onuſtos greges tendebat: curribus coopertis vehebantur decrepiti ſenes, & morbis ac vulneribus affecti milites; exportabatur commeatus varii generis abundantia, pulveris tormentarii & globorum ea copia, ut magnam partem Chotini aſſervari Dilaverius juſſiſſet. Oſmanus cum Senatu, Magnatibus ac Aulicis ſuis, occupato in medio exercitu loco, paulatim progrediebatur. Statim ac Turcæ receſſiſſent, Legati in Polonorum ſe caſtra contulerunt. Currebat in conſpectum eorum, omnium militiæ graduum turba. Erant, qui exultantes ſpargerent voces, veniſſe tandem malorum finem, appropinquare jam miſſionem ſuam, non plus ſe cœli injuriis, vigiliarum moleſtiis, inediæ, ſiti, variiſque morbis expoſitos fore. Ob reſtitutam Patriæ pacem, laureatum unumquemque in eam rediturum, illis parentes & fratres, his

Reditus Legatorum in ſua caſtra.

uxo-

uxores ac liberos in complexum occursuros, quod tot charissima simul pignora è faucibus fati eripuissent. Vladislaus refocillatis parùm viribus prodierat in publicum, ad audiendum die nempe Dominico venerandum Missæ sacrificium, atque vix tentorium ad devotiones peragendas assignatum ingressus erat; cùm oportunè ibidem lætissimus ad eum de reditu Legatorum, & confectâ pace, nuncius advolaverit. nec inde discessit, donec convocato universo castrensi Clero & Exercitu, laudante Dominum, psalmos decantante, supplex ipse divinæ majestati gratias redderet. Mox Andreas Szoldrscius Præpositus Gnesnensis, rei gestæ & feliciter peractæ seriem Sigismundo deferens, celerrimo se itineri accinxit. Sobiescius, Matthæo Lesniovio Succamerario Belzensi assumpto, à Vladislao & aliis Commissariis, fœderis conditiones Cozacis Zaporohensibus, datam exolvendo fidem, quòd urgentibus Turcis, ut ad enormia supplicia præcipui illorum traderentur, Legati tamen securitatem eorum

Szoldrscii ad Regem profectio.

Colloquium Sobiescii cum Cosacis Zaporohensibus.

rum cum dignitate Reipublicæ conjunctam defenderunt, nihílque pactis inſcribi permiſerunt, quòd Zaporohenſium Exercitum labe aliquâ deturpare poſſet. Totius denique Reipublicæ nomine, tam Konaſzevicium, & alios in Magiſtratu conſtitutos, quàm univerſam plebem admonuit, ut pactis ſtarent, & à Piraticâ exercendâ in Ponto Euxino, & mari Imperio Othomanico ſubjecto abſtinerent. Paucis, atque ad humilitatem compoſitis verbis reſpondit Konaſzevicius, infimos ſe Majeſtatis Regiæ & Reipublicæ ſervos eſſe, nec ullâ in re publicis edictis refragari aut velle, aut poſſe. Cum tamen Konaſzevicius de exercitus retro ducendi modo ac ratione à Vladiſlao exquiſitus, craſtinâ die conſilium ſuum explicaturum ſe promiſiſſet; inſcio Pıincipe & Lubomirſcio, ſeorſim primus cum ſummâ omnium Polonorum indignatione Tyram tranſiit.

Venerat Caterdziejus Banus Czalevenſis in caſtra Polonorum à Radulone, poſtulans, ut pactorum exemplar,

quod

quod Legati Vezirazemi dederant, propriisque manibus ſubſcriptum ſigillis ſuis obſignarent. quod dum ſtatim obtinuiſſet, arce Chotinenſi à Zbigneo Silnicio receptâ, & Conſtantino nobili Moldavo in Præfecturam ejus ſubſtituto, ad Oſmanum rediit.

Reditus in Patriam Poloni Exercitus.

Apparebat lamentabilis, & hoſtium etiam commiſeratione digna redeuntis Poloni exercitus facies: flos ille in maciem & pallidos vultus, equorum apparatus in ſqualorem, equitatus in peditatum verſus, congeſtæ in exiguos manipulos numeroſæ non pridem copiæ, lachrymas intuentibus extorquebant. Procedebat magna curruum pars, victu, militari ac domeſticâ ſupellectile vacua; efferebantur paſſim mortuorum cadavera, alii mutili, alii ob tot moleſtias exangues gradum ex caſtris pedetentim trahebant, portabantur in vehiculis nonnulli variis morbis vexati: multa ſigna, plurimæ aquilæ, at ſub iis rari commilitones numerabantur. Ac his tamen calamitatibus oppreſſi, pauci diſciplinam ſervabant:

vabant: adeò enim omni obſequio & ordine ſoluti ad tranſeundum Tyram properabant, ut non Polonorum reditum aut receptum, ſed turpiſſimam fugam ſpectantes de longinquo hoſtes facilè judicarent. Multi temeritatis ſuæ luerunt pœnas, modò à Tartaris inter virgulta & declivia prædæ inhiantibus, modò ab ipſis Coſacis Zaporohenſibus vitâ ac reſiduis facultatibus ſpoliati.

Turcarum pons. Egregiâ commoditate Polonos juvit Turcarum pons induſtriâ operâ conſtructus.

Fixa erant ad reprimendum rapidiſſimi fluvii velocem impetum ex denſis truncatis arboribus retentacula quædam, tabulatum firmis arboribus ad menſuram innixum, terrâque coopertum, grave illud ſuſtinebant pondus: compactæ ab utroque latere contignationes, & tranſeuntibus ſecuritatem, & operi elegantiam addebant. duæ etiam extabant januæ, ad claudendum & aperiendum pontem ædificatæ.

Lit-

Lithvani jam trans Tyram Vladiſlaum præſtolabantur. Tartari interim à viâ Camenecenſi divertentes ex latibulis ſuis Polonos laceſſere conabantur, imminebántque nonnullis cohortibus. ſed ex familiâ Sobieſcii aliquot nobiles ad eos prorupe-rant, & cum Ioannes Gdeſzynius unum cepiſſet, cæteri majorem Polonorum manipulum latêre alicubi credentes, terga ſubitò verterunt. *Tartarorum conatus.*

Excitatus in exercitu irrumpentis hoſtis rumor, anſam dederat, ut haſtatæ aliquot cum omni ferè peditatu cohortes Vladiſlai currum, quo æger vehebatur, cingerent.

Intempeſtivâ nocte, multis frendentibus, valetudinarius Princeps ad Zuancum ſubſtitit: nec caſtra tunc ſuo ordine & loco diſponebantur, cum alii in alterâ amnis ripâ ad pontem Turcarum pernoctaſſent, alii huc & illuc erronei vagarentur. Vladiſlai itaque quieti, & reliquis coadunandis copiis dato ſequenti die, tertio poſtea Cameneciam

perventum eſt. Szoldrſcius verò Præpoſitus Gneſnenſis Leopoli Regem repererat, qui Minoris Poloniæ Palatinatibus collectis, expeditionis generalis reſiduum præſtolabatur. Magnam Ruſſiæ provinciis ad tempeſtivum adventum remoram Tartari attulerant, quorum ferociâ fumantes pagi edebant ſe & in ipſius Sigiſmundi iter peragentis conſpectum. Nuradinus enim Chami frater ultimus, poſitis ſuis ſtativis in Kozlovienſibus, & fundi Zloczovienſis, Zborovienſibus ac Iarczovienſibus campis, in Ruſſiæ, Volhyniæ & Belzenſem terras, ſeveriſſimas fecerat excurſiones, villis & oppidis incendio undique conſumptis, abactâ equorum ac pecudum opimâ prædâ, abductâ in ſervitutem tantâ ruſticorum utriuſque ſexus multitudine, in vincula conjectis ex nobilitate plurimis, manciporum Polonorum gemitu Turcarum caſtra impleverat.

Tartarorum in Poloniam incurſio.

Reſtauratum cum Oſmano fœdus iniquiùs ſe ferre Rex ideo fortè ſimulabat, ut hoc apud Turcas rumore, nominis, & ad

id

id bellum adventus ſui, expeditioniſque Regni famam augeret. Quod minimè ſine dubio hoſtes in ſtabiliendis pactis permoverat, dum iis captivi ipſi inauditum hactenus univerſæ Poloniæ apparatum denunciarent. Cæteri Polonorum ſtatus, & privati tam ſummorum, quàm infimorum lares, ingenti lætitiâ deſideratiſſimum pacis nuncium exceperunt. Ac Gregorius XV Pontifex Maximus, VI Idus Octobris, quibus Oſmanus opprobrio ſuo ſatiatus receſſit, feſtum hunc & publicis ſupplicationibus ſacrum diem toti Poloniæ Regno indixit.

Tu igitur, ô Patria mea chariſſima, humiliter proſtrata, venerare Statorem, Liberatorem ac Conſervatorem DEVM tuum, qui te, deficientibus humanis conſiliis, nutantibus omnium animis, orbéque terrarum ſtupente, dexterâ Excelſi ab extremo interitu vindicavit, deſperatam tibi ſalutem reſtituit, & averſâ clade, inſigni triumpho Sarmaticam gentem ornavit. DOMINVS NOMEN EI EST.

Quare ſupplex largitorem omnium bonorum, ad Thronum ejus procidens, votis onera, ut in nominis ſui GLORIAM, rerum eo bello geſtarum felicem memoriam, Legum & Libertatum intactam baſin conſervet, tótque collatis beneficiis addat perpetuitatem.

FINIS.





